

# PIUS VI.

## ANNO SEPTIMO



CCXCVIII.

Dat. die  
20 Februarii  
1781.  
Anno VII.

Statuitur, ut officia provinciæ sancti Antonii de Brasile ordinis minorum sancti Francisci de observantia reformatorum in posterum concedantur per alternativam nationum, quæ illam constituunt.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. **P**astoralis officii Nobis licet immerito divina dispensatione commissi curam gerere satagentes, ea, quæ ad æqualitatem, pacem, tranquillitatemque inter personas præsertim divinis obsequiis sub suavi religionis jago mancipatas firmandam, conservandamque provide, ac prudenter disposita, et statuta esse noscuntur apostolicæ Nostræ auctoritatis munimine, dum id a Nobis petitur, libenti animo roboramus.

Exponitur status controversiarum subortarum super distributione officiorum

§. 2. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum provinciæ sancti Antonii in Brasiliis expositum fuit, quod provincia prædicta ex tribus nationibus, seu filiationibus constat, scilicet ex filiis status Bahiensis, ex filiis status Pernabucensis in Brasiliis, et ex filiis regni Portugalliæ in Europa. Cum autem sicut eadem expositio subungebat, filii, seu nationales Europei ab anno millesimo septingentesimo decimo nono ad hæc usque tempora, ut plurimum dignitates, ac officia provinciæ prædictæ obtinuerint, ac ex inæqualitate hujusmodi cum cæteris etiam in aliis duabus nationibus, seu filiationibus status nempe Bahiensis, et status Pernabucensis plures reperiantur fratres tum ob morum integritatem,

ac religionis zelum, cum etiam ob ingenii præstantiam summopere commendabiles jurgia, ac dissensiones quamplurimæ in eadem provincia cum animarum Christifidelium, et regularis disciplinæ dispendio, ac honorum omnium scandalo exortæ sint.

§. 3. Hinc est, quod Nos, quam dissidia hujusmodi, inter regulares præsertim personas perniciosæ sint, quamque etiam illarum progressum in via Domini impediunt, probe noscentes, ac paci, tranquillitatisque ejusdem provinciæ quantum cum Domino possumus consulere, ipsosque exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratias absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine in futuris electionibus superiorum, aliorumque officialium dictæ provinciæ statuimus, ac ordinamus.

Tenor decretorum latorum super modo procedendi in distributione officiorum.

§. 4. 1.º Quod in proximo capitulo celebrando eligatur provincialis cum uno definitore ex filiatione Bahiensium: custos cum alio definitore ex filiatione Pernabucentium: et alii duo definitores ex filiatione Europeorum, de qua provincialis triennium solvit. In secundo capitulo eligatur provincialis cum uno definitore ex filiatione, de qua custos in primo: custos cum alio definitore ex filiatione, de qua duo definitores fuerunt: et duo definitores ex filiatione, de qua provincialis immediatus; et sic in posterum orbiculariter observetur, ita taliter, ut semper provincialis cum uno definitore eligatur ex illa fi-

De electione provincialis, custodis, et definitorum.

liatione, quæ in duobus capitulis præcedentibus provincialem non habuit, ne forte aliquis ex-provincialis ante sexennium reeligatur; ut cautum est in constitutionibus apostolicis, statutisque ordinis et provinciæ (1). Et custos cum alio definitore eligatur ex illa filiatione, quæ in capitulo immediate subsequenti provincialem habitura est: et duo definitores eligantur ex alia filiatione, quæ superest, et ex qua fuit provincialis, qui triennium solvit.

De electione  
visitatoris ge-  
neralis.

§. 5. 2.<sup>o</sup> Quod visitator generalis, et præses capituli, qui a ministro generali ordinis eligi, et nominari debet, et per concessionem Innocentii pp. XI. huic provinciæ factam, non ex alia, sed ex eadem met provincia nominandus est, assumatur ex filiatione, ex qua duo definitores supradicti ad mensam definitorialem assumpti fuerunt. Propter quod illi tres religiosi, qui in forma dicti Brevis, et statuti (2) per ministrum provincialem cum suo definitorio ad ministrum generalem proponi debent, sint ex præallegata filiatione, servato in aliis, et ob deficientiam, vel mortem hujusmodi visitatoris generalis, quod per statuta (3) provinciæ servari debet, et ab illis optime cautum est.

De modo pro-  
cedendi si ele-  
cti decedant,  
vel officium di-  
mittant ante fi-  
nitum trien-  
nium.

§. 6. 3.<sup>o</sup> Quod si provincialis e vivis decedat, vel officium dimittat ante finitum triennium, eligatur vicarius provincialis a definitorio juxta constitutiones generales ordinis, et municipales provinciæ ex eadem filiatione provincialis defuncti, seu dimittentis, ut triennium inceptum, et non ultra, compleatur: et hoc idem de custode, si fortasse moriatur, observari debeat. Et decedente aliquo ex definitoribus actualibus, subrogetur frater ex-provincialis ejusdem filiationis defuncti, si existat, et illo non existente, ex-definitor, vel lector antiquiores ex eadem filiatione, at iste in defectu illius; ut vota, seu suffragia vocalium mensæ definitorialem in capitulo electorum in singulis tribus filiationibus semper æqualia serventur.

De æqualitate  
vocalium ser-  
vanda.

§. 7. 4.<sup>o</sup> Quod hæc æqualitas vocalium servanda pro tribus filiationibus in mensa definitorialem, omnino obser-

vetur in vocalibus ad capitulum provinciale. Ideo guardianiæ æquali distributione per dictas tres filiationes partiantur. Quod ut integre consequatur, ratione disparitatis conventuum, qui in dicta provincia sunt tantummodo tresdecim, necesse est, ut hospitium Dominiæ nostræ de Boaviagem elevetur in conventum, attenta ad hoc illius actuali capacitate; et dum non elevatur, superior illius sit per electionem, sicut guardianus, electus, et habeat votum in capitulis provincialibus. Quo posito, æquali numero vocalium in capitulo, sicut in definitorio, omnes tres filiationes gaudebunt: et ne conventus principales semper uni, et minus principales semper alteri ex tribus filiationibus conferantur, sequenti ordine distribuuntur. Filiationi provincialis dentur conventus sancti Francisci de Bahia = sancti Francisci de Sergipe do Conde = sancti Antonii de Iguarassu = Dominiæ nostræ Angelorum do Rio de s. Francisco = et hospitium Dominiæ nostræ de Boaviagem. = Filiationi custodis dentur conventus Dominiæ nostræ a Navibus de Olinda = sancti Francisci de Paraiba = sancti Francisci de Serinhaem = sanctæ Mariæ Magdalensæ das Alagoas = et sancti Antonii do Cayru = Et filiationi duorum definitorum dentur conventus sancti Antonii do Recife = sancti Antonii da Ipojuca = Boni Jesu de Sergipe del Rey = et sancti Antonii de Paraguassu. Quæ quidem distributio, et æqualitas vocalium, et conventuum in infra scriptis clare dignoscitur.

## FILIATIONES

### Prima

- 1 Provincialis
- 2 Definitor
- 3 Conventus Bahia
- 4 Sergipe do Conde
- 5 Rio de s. Francisco
- 6 Iguarassu.
7. Hospicio

### Secunda

- 1 Custos
- 2 Definitor
- 3 Conventus-Olinda
- 4 Paraiba
- 5 Serinhaem
- 6 Alagoas
- 7 Cayru

Distributio,  
et æqualitas  
vocalium, et  
conventuum.

(1) Stat. Provinc. cap. 33. num. 1, et cap. 46 num. 2.

(2) Stat. provinc. cap. 33 num. 11, et cap. 37 num. 1.

(3) Ibid. num. 5.

## Tertia

- 1 Visitator generalis, et præsidens capit.
- 2 Definitor
- 3 Definitor
- 4 Conventus-do Recife
- 5 Ipojuca
- 6 Sergipe del Rey
- 7 Paraguassù

§. 9. 5.º Quod procuratores provincie in capitulo, et congregatione intermedia electi, et destinati ad negotia conventuum pertractanda, quæ vel in curia regali Ulyssipponensi, vel in civitatibus Bahiensi, et Pernabucensi occurrere possunt, sint tantummodo tres, prout in præsentì. At eorum electio, et suorum sociorum nominatio fiat cum respectu ad tres memoratas filiationes; ita ut procurator partitionis Bahiensis sit ex filiatione, de qua provincialis, ejusque socius ex filiatione, de qua custos. Procurator curiæ Ulyssipponensis sit ex filiatione custodis, et ejus socius ex filiatione visitatoris generalis. Et procurator partitionis Pernabucensis sit ex filiatione visitatoris generalis, sociusque illius ex filiatione provincialis: quin aliquis istorum procuratorum ultra triennium conservetur, nec illorum ternarius numerus quocumque prætextu alicubi in futurum augeatur.

§. 10. 6.º Quod de sexennio in sexennium instituatur tres lectores artium respective ad tres filiationes; ita ut quælibet filiatio in quolibet sexennio unum habeat artium lectorem. Idemque observetur circa lectores theologiæ speculativæ, et moralis, ut prædictæ tres filiationes in omnibus serventur æquales: consummatoque philosophico curriculo, procedatur ad oppositiones, de more solito; quæ quidem oppositiones celebrabuntur in conventu s. Francisci de Bahiæ, et non alibi, et intra semestre visitatoris generalis, per quem in suis primis literis encyclicis convocabuntur fratres omnes, qui ad hoc in unaquaque filiatione apti, et habiles inventi fuerint: et si forte contingat, quod aliqua filiatio nullum habeat idoneum oppositorem, qui tali prævia oppositione iudicetur capax cujuscumque lectoratus, occupet tunc ipsam lecturam aliquis ex-lector ex ipsamet filiatione. Quod etiam observari debet in morte, vel deficientia alicujus ex similibus lectoribus: quorum omnium electio, et nominatio ita fiet, ut semper digniores minus idoneis præferantur, licet isti illos et ætate, et habitus receptione præcedant.

Bull. Rom. Tom. VI.

§. 11. 7.º Quod, ut similibus lectoribus etiam in hac vita proprium respondeat præmium, decernatur lectores illos, qui per novem annos theologiæ tantummodo vacaverint, implendo lectiones, et conclusiones de more solito in provincia, frui debere prærogativis, gratiis, et exemptionibus, quæ per moderniora acta ejusdem provinciæ concessæ reperiuntur lectoribus per idem novennium theologiæ, et philosophiæ insimul incumbentibus. Decernatur etiam, iisdem gratiis, prærogativis, privilegiis, et exemptionibus, de quibus loquitur statutum municipale (1) erga lectores per sex annos philosophiam, et per totidem theologiam legentes, frui etiam debere lectores illos, qui per eisdem duodecim annos, vel solummodo theologiam, vel insimul philosophiam per sex, vel per tres annos legerint, impletis lectionibus, et conclusionibus solitis.

§. 12. 8.º Quod numerus studentium philosophiæ sit æqualis pro quolibet lectore, et filiatione: at in casu deficientiæ studentium in aliqua ex filiationibus suppleatur ex alia, servata, quoad fieri possit, in omnibus æqualitate desiderata. Quod, ut facilius in hoc puncto consequatur, admittantur philosophiæ adhuc recentes professi, non obstante statuto prohibente (2) ante sexennium, postquam habitum receperunt, huic studio applicentur. Expleto curriculo theologico, instituatur oppositores futuri, vulgari nomine, *passantes*, omnes illi, qui per attestacionem suorum lectorum idonei informantur. Et lectores artium ad doctrinam Scoticam sequendam, et explicandam non sint adstricti, ut in statutis (3) provinciæ reperitur, imo eis sit liberum docere, et defendere systema illud, et doctrinam, quæ eis magis utilis, et proficua in Domino videatur. Conventusque ad studia philosophiæ, et theologiæ destinati, sint conventus Bahiæ, Olindæ, et Recifi, et ita per gyrum, et turnum tribus filiationibus conferantur, ut nunquam in eodem conventu legant successive lectores ex eadem filiatione.

§. 13. 9.º Quod numerus religiosorum provinciæ reducatur ad numerum

De præmiis  
lectoribus tri-  
buendo.

De numero  
studentium  
philosophiæ.

De numero  
religiosorum  
provinciæ ser-  
vando.

(1) Stat. prov. cap. 16 num. 6.

(2) Stat. Prov. cap. 17. num. 2.

(3) Stat. Prov. cap. 15. num. 5.

De electione,  
et munere pro-  
curatoris pro-  
vinciæ.

De lectoribus  
artium insti-  
tuendis.

tercentorum, et nonaginta novem, scilicet, centum et tresdecim clerici, et viginti laici pro qualibet filiatione, ut in omnibus servetur æqualitas: et quia nunc temporis religiosi alicujus filiationis non adæquant numerum religiosorum ex alia, ministri provinciales non recipiant ad habitum, vel ingressum religionis aliquem ex illa natione, cujus numerus excedat; sed ex illa admittant novitios, quæ in tali numero inferior invenitur, donec ad æqualitatem, et numerum præscriptum reducantur religiosi, tam clerici, quam laici cujuscumque filiationis. Completoque numero æquali religiosorum dictarum filiationum, tunc in casu obitus, vel deficientiæ alicujus religiosi, assumant provinciales, ad habitum regularem alium, qui sit de eodem statu, et natione, de qua erat religiosus, qui obiit, vel defecit, ad hoc ut successivis temporibus nunquam interrumpatur, imo observetur hæc perfecta æqualitas: et quatenus contingere potest, ut aliquis natus extra territorium Bahiense, et Pernabucense velit, annuente Domino, hanc religionem ingredi, et provinciam quærere, quod illi negandum non est, necesse est, ut alicui ex tribus filiationibus associetur. Ideo qui nati fuerint in locis decurrentibus de territorio Bahiensi ad partes Austri, Minas, Mediterraneique etc., pertineant ad filiationem Bahiensem: qui de territorio Pernabucensi usque ad lineam æquinoctialem ad Aquilonem originem duxerint, pertineant ad filiationem Pernabucensem: et qui in regno Portugalliæ, insulisque Europeis ortum habuerint, pertineant ad filiationem Europeorum.

De distribu-  
tione officio-  
rum minorum.

§. 14. 10. et ultimo. Quod distribuuntur cum eadem desiderata æqualitate reliqua officia minora provinciæ; ita ut nullus in illis ultra triennium conservetur, sicut in majoribus officiis. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrio Nostro etiam suspensionis ab officiis imponendis pœnis omnibus, et singulis superioribus, fratribus, ac in capitulis provincialibus vocem habentibus, ut omnia prædicta capitula futuris perpetuis temporibus adimpleant, ac ea adimpleri sollicitè curent, ac studeant.

Clausula subla-  
ta, et decre-  
tum irritans.

§. 15. Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro

tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiti debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 16. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciæ prædictæ etiam juramento, confirmatione apostolica roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque teoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque; et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio con-  
trariorum.

CCXCIX.

Dat. die  
20 februarii  
1781  
Anno VII.

Reductio onerum missarum pro hospitio Convalescentium venerabilis servi Dei Angeli Paoli de urbe.

Dilecto filio Nostro Guillelmo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali Pallotta nuncupato.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem,  
et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii deputati hospitii pauperum convalescentium urbis venera-

Expositio præ-  
cæm porrecta-  
rum pro asse-  
quenda redu-  
ctione.

bilis servi Dei Angeli Paoli nuncupati, quod alias bonæ memoriæ Nicolas Giobbe in suo ultimo testamento instituta sibi in hæredem usufructuariam totius sui patrimonii Angela Albuzi ejus, dum vixit, uxore, ad illius proprietatem memoratum hospitium pauperum convalescentiam vocavit, ut illuc valetudinarii, ac convalescentes majori etiam charitate in posterum alerentur, adjecto tamen onere eidem hospitiis trium missarum quotidianarum manualium defuncta dicta Angela Albuzi sua uxore, sicque consolidato usufructu cum proprietate suæ hæreditatis. Cum autem sicut eidem expositio subjuagebat, licet memorata Angela hæres usufructuaria juxta præscriptam ei in dicto testamento legem pretium rerum mobilium, tabularum pictarum, aliorumque similibus in loca montium ad patrimonii prædicti augmentum investire teneretur, nihilominus ea distraxit, alienavitque, ex quo factum est, ut, cum patrimonium Giobbe, jam defuncta memorata Angela, vix sufficiens ad adimplenda onera trium dictarum missarum reperiatur, nullum compendium ex hæreditate hujusmodi in pauperum convalescentium solatium ad hospitium prædictum, pro ut fuerat mens testatoris, deveniat; Nobis propterea humiliter exponentes prædicti supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratis, et favoribus sequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito prius tui, qui apud Nos, et apostolicam Sedem ejusdem hospitiis protector existis, consilio, circumspeditioni tuæ per præsentis committimus, et mandamus, ut constito tibi de narratis, prius quodcumque onerum prædictarum missarum, quoad tempus præteritum inadimplementum eidem hospitiis auctoritate Nostra apostolica remittes, relaxes, et condones; ut insuper onera trium missarum prædictarum ad unam missam quotidianam manua-lem, cum onere dumtaxat etiam trium missarum in die anniversarii obitus dicti

Nicolai Giobbe auctoritate, et tenore prædictis redigas, ac reducas.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, nec non pii testatoris etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Omnibus in contrarium facientibus derogatur.

CCC.

Dat. die  
20 februarii  
1781.  
Anno VII.

Ad instantiam procuratorum linguæ provinciæ hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani derogatur confirmationi capituli generalis fratrum militum prædicti hospitalis nuper habiti super celebratione capitulorum provincialium.

Dilecto filio magno magistro hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani.

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii procuratores linguæ provinciæ istius hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, quod in postremo capitulo generali alias annis nempe MDCCLXXVI, et MDCCLXXVII. in conventu dicti hospitalis habito, inter cætera statuta, seu stabilimenta, ac ordinationes capitulares auctoritate apostolica per Nostras literas die xx. julii anni MDCCLXXIX. sub plumbo datas confirmata sub titulo sexto capituli in ordinatione decima octava cautum, præscriptumque reperitur, ut in omnibus prioratibus septem linguarum dicti hospitalis capitula provincialia, a secunda dominica mensis junii, usque ad diem festum sancti Joannis Baptistæ patroni ejusdem hospitalis in posterum celebrentur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quoad prioratum sancti Gilles ea anni tempestate assemblea capituli provincialis haberi nequeat, tum ob nimium singulorum hoc capitulum constituentium incommo-

Expositio præcedens.

Tenore concessio.

dum, qui in ferventissimo anni æstiviter facere deberent; tum etiam quia unusquisque ipsorum ob malignum civitatis aerem tempore æstivo grave sanitatis periculum obiret; tum demum quia cum junius sit mensis messis, in quo multi titulares, administrantes per se ipsos eorum respectivas præceptorias, seu commendas dicti hospitalis, ac alii præesse, ac super earumdem fructibus, ac redditibus invigilare debent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacunque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, eisdem exponentibus, ut quoad prædictum dumtaxat prioratum sancti Gilles in assembleæ capituli provincialis dicti prioratus sancti Gilles convocationibus id, quod ante memoratum proximum capitulum generale, juxta ordinationem decimam septimam tituli sexti capituli sancitam in antecedenti capitulo generali anno MDCXXXI. habito, adhibebatur, auctoritate Nostra apostolica concedendi, et indulgendi plenam, et amplam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quoad prioratum sancti Gilles prædictum dicta ordinatione decima octava tituli sexti capituli, aliisque dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa, et individua,

non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima februarii millesimo septingentesimo septuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCI.

Dat die  
1 martii  
1781  
Anno VII.

Concessio indulgentiæ plenariæ assequendæ ab eis, qui visitaverint ecclesiam archiconfraternitatis = *della Morte* = nuncupatæ de urbe.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **A**d augendam fidelium religionem, et animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti omnibus, et singulis Christianis utriusque sexus vere pœnitentibus, et confessis, seu firmum confitendi propositum habeatibus, qui ecclesiam archiconfraternitatis de Oratione, alias *della Morte* nuncupatæ de urbe devote visitaverint, inique juxta eorum devotionem pias preces ad Deum effuderint, quoties id fecerint indulgentiam plenariam omnium, et singulorum peccatorum suorum veniam, et remissionem apostolica auctoritate perpetuo concedimus, et impertimur, ipsisque, ut quilibet eorum indulgentiam, et peccatorum remissionem hujusmodi animabus purgatorii per modum suffragii applicare possit, etiam perpetuo concedimus, et indulgemus.

Tenor concessionis, et designatio operum præstandorum pro consecutione indulgentiæ.

§. 2. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 1. martii MDCCLXXXI. pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio contrariorum.



Dat. die  
8 martii

1781

Anno VII.

CCCLII.

Confirmatur juspatronatus regis fidelissimi, et infantis Portugalliae pro tempore existentis nominandi, et praesentandi ad quaedam beneficia.

Pius episcopus

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. **P**raeclara devotionis sinceritas, et eximia fidei constantia, quibus personae regia potestate praeditae in Nostro, et apostolicae Sedis conspectu, de qua continuo, ut obedientiae filii benemereri non cessant fulgere noscuntur, Nos supra modum invitant, suaviterque alliciunt, ut earum votis, et petitionibus, quae regionum jurium conservationi collimare conspiciamus gaudenter annuamus, eaque favoribus opportunis libentissime prosequamur.

Exponitur status ultimus jurispatronatus, cujus reintegratio efflagratur.

§. 2. Sane pro parte charissimi in Christo filii Nostri Petri Portugalliae, et Algarbiorum regis fidelissimi Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum ad ipsum Petrum regem uti administratorem status, et domus dilectissimi in Christo filii dicti regni infantis ex regio indulto Portugalliae regni infantibus pro tempore existentibus concesso jus praesentandi ad unam de Pavor, et alteram de Bucellas Lisbonensis, nec non ad reliquam de Castro Daire respective locorum Lamacensis respective dioecesium parochiales ecclesias prioratus respective nuncupatas pro tempore vacantes, quae sicut accepimus de jurepatronatus dicti Petri regis, et pro tempore existentis Portugalliae, et Algarbiorum regis fidelissimi ex fundatione, vel dotatione existunt, spectet, et pertineat; cumque licet ob id eidem regio infanti jus alterum praesentandi ad perpetua simplicia, et personalem residentiam non requirentia beneficia ecclesiastica in dictis parochialibus ecclesiis respective fundata spectare, et pertinere dignoscatur. Nihilominus propter tacitam, et successivam dissimulationem praedictorum administratorum status, et domus hujusmodi, et reddituum beneficiorum praedictorum tenuitate de praeterito praesumendam parochialium ecclesiarum praedictarum respective rectores in quasi possessione praesentandi ad dicta beneficia pro tempore vacantia permanserunt non alio

quam parochialium ecclesiarum praedictarum titulo suffulti, cujus quidem vigore nulla illis facultas, nullumque jus ad hujusmodi praesentationes faciendas attribuitur, quin ejus praedictum argui possit ex dicta quasi possessione precaria, et facultativa de ejus natura praecipue adversus regios patronatus revocabili: quodque ad praesens intollerabile esset dum beneficiorum praedictorum fructus, redditus, et proventus valde adaukti reperiuntur; proptereaque praesentationes hujusmodi a dictis parochialium ecclesiarum rectoribus, ut praefertur, faciendae regiam minuerent auctoritatem. Quamobrem dictis parochialibus ecclesiis modo extra Romanam curiam vacantibus idem Petrus rex fidelissimus, qui ob suos puros, et religiosos, quos semper in corde habuit sensus tantum si in rebus ecclesiasticis apostolica auctoritas accedat operari intendit. Quare pro parte ipsius Petri regis Nobis fuit humiliter supplicatum, qualenus ejus justis desideriis favorabiliter annuere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur attendentes peculiarem ejusdem Petri regis in hanc apostolicam Sedem pietatem, et reverentiam, eundemque Petrum regem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illius votis, et supplicationibus inclinari praesentationes ad dictas parochiales ecclesias, ut praefertur, vacantes, et earum quamlibet cum expressa reservatione dicti juris praesentandi ad eadem beneficia in parochialibus ecclesiis praedictis, ut praefertur, fundata per eum faciendas apostolica auctoritate tenore praesentium specialiter, et perpetuo approbamus. Ac dictum jus praesentandi ad eadem beneficia simplicia dictarum parochialium ecclesiarum pro tempore respective existentibus rectoribus minus competere, sed praesentationes ad dictas parochiales ecclesias ab eodem rege fidelissimo uti administratore praedicto, et ad Portugalliae regni infantibus pro tempore existentibus faciendas semper cum expressa, et valida reservatione jurispatronatus ad dicta beneficia simplicia in eisdem parochialibus ecclesiis, ut praefertur, fundata factas intelligi debere eadem apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium etiam perpetuo declaramus.

Reintegratio jurispatronatus favore regis, et infantis.

§. 4. Nec non easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere,

Clausula salutaris, pro plena literalium executione.

ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis Nostræ, aut quovis alio quantumvis magno substantiali, substantialissimo, inexcogitato, inexcogitabili, ac specialem, et individua mentionem, et expressionem requirente defectu, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel etiam in corpore juris clausa occasione, aliave causa etiam quantumvis justa, rationabili, juridica, legitima, pia, privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, aut aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari non posset notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam revocari aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris facti, gratiæ, aut justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine concessio, et impetrato, aut emanato quempiam uti seu se juvari in judicio, vel extra illud posse, neque easdem præsentibus sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, supplicationibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem eandem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter ex quibuslibet eorum, et sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat pro tempore factis, et faciendis, ac concessis, et concedendis comprehendere, sed semper ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et esse.

§. 5. Sicque, et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dietæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate,

Clausula sublesta, et decretum irritans.

prærogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes in quocumque iudicio, et in quacumque instantia judicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

§. 6. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis æditis, vel ædeodis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus pro tempore concessis, et concedendis; quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum idem importans mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, etiam inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime ad præmissorum validissimum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariarum.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, declarationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Goritiæ anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo octuagesimo primo, idus martii pontificatus Nostri anno septimo.

Sanctio poenalis.



CCCLIII.

Dal. die  
9. martii  
1781  
Anno VII.

Suppressio parochialis ecclesie Portalegrensis cum unione, et applicatione honorum favore monasterii monialium ordinis sancti Joannis Hierosolymitani terrae de Extremos diocesis Elborensis.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Venerabili fratri episcopo Portalegrensi salutem  
et apostolicam benedictionem

Proemium

§. 1. **E**xposcit debitum postoralis officii cui disponente Domino praesidemus, ut dum de statu monasteriorum quorumlibet dirigendo studemus de illis quandoque, in quibus prudentes Deo dicatae, ac Christo filio sub suavi religionis jugo desponsatae virgines ab hujus saeculi immunes caligine degunt, sedulo cogitemus, ut praesertim ubi redditus hactenus statuti haud sufficere noscuntur, ne earum mentes pro rerum temporalium angustia a caelestium contemplatione arceantur commoda ac decentior dotatio potissimum cum personarum regali dignitate fulgentium Nostris ad id consona accedunt desideria valeat procurari, atque ut illud facilius subsequi possit ecclesiasticorum beneficiorum curam etiam animarum annexam habentium unionis operam, et medium quantum ex alto conceditur favorabiliter adhibemus, aliaque circa animarum hujusmodi curae exercitium opportune disponimus prout in Domino conspicimus expedire.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte charissimi in Christo filii Nostri Petri Portugalliae, et Algarbiorum regis fidelissimi petitio continebat quod cum ipse Petrus rex uti magnus prior magni prioratus nuncupati ordinis sancti Joannis Hierosolymitani in Portugalliae regnis, ad quem uti magnum priorem hujusmodi monasterium monialium praedicti ordinis sancti Joannis Hierosolymitani terrae de Extremos Elborensis diocesis dependens pertinet, et cujus jurisdictioni subjectum existit divinum cultum promovendi studio flagrans laudabile, et sanctum ejusdem monasterii institutum cum aedificatione, et exemplo a pro tempore existentibus dicti monasterii monialibus perfecte observari curaverit. Cumque observantiam

hujusmodi firmam et stabilem reddere summopere cupiat, idcirco provide considerans quod modus ad id cum effectu assequendum magis conducens foret si ita dicto monasterio illius redditus communes statuendo moniales ipsae ab omni sollicitudine, et cura pro earum particulari, et necessaria sustentatione immunes fierent, ut sic facilius ad pias tamen exercitationes intentae ferventius Domino famulari possint. Quamobrem licet idem Petrus rex aliquos in dicto monasterio statuerit redditus, nihilominus cum illi nondum sufficientes existant; in loco vero de Marvam Portalegrensis diocesis adsit parochialis ecclesia, quae sicut accepimus de jure patronatus dicti regis fidelissimi ex fundatione, vel dotatione existit, quaeque certo, quem praesentibus haberi volumus pro expresso modo extra Romanam curiam ad praesens vacat, et ad quam illa pro tempore vacat nominatio personae idoneae in ea ad nominationem hujusmodi per ordinarium loci, aut alias canonice instituendam ad pro tempore existentem magnum priorem dicti magni prioratus spectat, et pertinet si ipsa parochialis ecclesia, ut infra perpetuo apostolica auctoritate supprimeretur, et extingueretur, illiusque infrascripti fructus, redditus et proventus monasterio praedicto pariter ut infra perpetuo applicarentur, et appropriarentur profecto cum illis quod dicto monasterio deest magna in parte suppleri possent. Quare pro parte ejusdem Petri regis Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus piis ejus votis in praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur qui sanctimonialium commodo, decentique statui, ut earum spiritus Deo tranquillius vacari possit, quantum cum Domino possumus providere satagimus, quique dudum inter alia volumus quod parentes beneficia ecclesiastica aliis applicari, et uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem tam beneficii unijendi, quam illius, cui applicari, et uniri petitur, alioquin applicatio, seu unio non valeret, et in applicationibus, seu unionibus hujusmodi commissio semper fieret ad partes, vocatis quorum interest, idemque servaretur in quibusvis suppressioibus perpetuis dismembrationibus, et concessionibus, et de quibuscumque fructibus ecclesiasticis eundem Petrum regem de sua in Deum pietate, cultu, et honore, animarumque in dies perficiendarum zelo plurimum laudantes; nec

Tollitur titulus collativus ecclesiae parochiali.

Expositio praecum correctarum a rege Portugalliae.

non aliarum applicationum eidem monasterio hactenus tamen factarum, si quæ siat, tenores etiam veriores, ac datas, verumque et ultimum dictæ parochialis ecclesiæ vacationis modum, et si ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa resultat præsentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis, qui fuerint ad id evocandi parochialem ecclesiam prædictam cujus, et illi forsitan annexorum fructus redditus, et proventus certi, et incerti, ac infrascriptarum cappellarum quingentorum ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annum, ut asseritur non excedunt, sive ut præfertur, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona seu per liberam cujusvis resignationem de illa extra dictam curiam etiam coram notario publico, et testibus sponte factam, aut constitutionem rec. mem. Joannis pp. XXII. prædecessoris Nostri, quæ incipit ■ Ecclesiasticis, vel assequutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem apostolicam legitime devoluta, dictaque parochialis ecclesia dispositioni apostolicæ specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa. Illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam parochialis ecclesiæ collativæ, ita quod illa ex nunc collativa esse desinat, et de cetero uti talis in titulum collativum quavis auctoritate conferri aut alias de illa, et ad nominationem hujusmodi disponi nullatenus unquam possit, et si illam deinceps conferri, aut impetrari, vel alias de illa quovis modo disponi contigerit collationes, provisiones, impetrationes, et quævis aliæ dispositiones de illa quomodolibet faciendæ nullæ, et invalidæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam coloratum titulum possidendi tribuant de charissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Franciscæ Portugalliæ, et Algarbiorum reginæ fidelissimæ approbatione auctoritate Nostra perpetuo supprimas, et extinguas.

Roma ecclesiæ suppressæ monialibus applicantur.

§. 4. Illisque sic suppressis, et extinctis omnia, et singula ipsius parochialis ecclesiæ sic per te, ut præfertur, supprimendæ et extingvendæ, nec

non cappellarum minime collatarum in ea existentium respective bona, res, proprietates, fructus, redditus, et proventus certos, et incertos, jura, obventiones, et emolumenta universa undecumque, quodcumque, et qualitercumque provenientia, et ad dictam parochialem ecclesiam per te, ut præfertur, supprimendam et extingvendam, et ad cappellas minime collativas prædictas spectantia, et pertinentia eidem monasterio, ita quod liceat dilectis in Christo filiabus dicti monasterii monialibus nunc, et pro tempore existentibus earum, ac dicti monasterii nomine per se, vel alium, seu alios dictæ parochialis ecclesiæ per te, ut præfertur, supprimendæ, et extingvendæ, ac dictarum cappellarum minime collatarum respective bonorum, rerum, proprietatum, actionum, ac jurium quorumcumque prædictorum veram, realem, actualem, ac corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere; dictaque bona, res, et proprietates hujusmodi locare, dislocare, arrendare, illorumque respective fructus, redditus, proventus, et emolumenta prædicta percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per easdem modernas, et pro tempore existentes dicti monasterii moniales, ut infra dictæ parochialis ecclesiæ per te, ut præfertur, supprimendæ, et extingvendæ, nec non cappellarum minime collatarum in ea, ut præfertur, existentes oneribus in ejusdem monasterii monialium nunc, et pro tempore existentium prædictarum necessariam, et particularem sustentationem convertere diæcesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate Nostra prædicta sine alicujus præjudicio etiam perpetuo applices, et appropries.

§. 5. Et ne ob suppressionem, extinctionem, applicationem, et appropriationem per te, ut præfertur, faciendas prædictas cura animarum dilectorum filiorum parochianorum dictæ parochialis ecclesiæ per te, ut præfertur, supprimendæ, et extingvendæ aliquod detrimentum patiatur, sed cura hujusmodi recte, et accurate exerceatur in eadem parochiali ecclesia, ut præfertur, supprimenda, et extingvenda unam vicariam perpetuam pro uno presbytero sæculari idoneo futuro dictæ parochialis ecclesiæ per te, ut præfertur, supprimendæ, et extingvendæ vicario perpetuo cui ipsius parochialis ecclesiæ per te, ut præfertur, supprimendæ, et

Consultur curæ animarum parochialis ecclesiæ suppressæ.

extinguendæ animarum parochianorum hujusmodi cura immineat, et apud dictam parochialem ecclesiam per te, ut præfertur, supprimendam, et extinguendam continuo personaliter residere, et propriis, suisque parochianis ecclesiastica sacramenta ministrare, ac omnia, et singula officia, munia, et onera parochialia dictæ parochialis ecclesiæ a te, ut præfertur, supprimendæ, et extinguendæ pro tempore incumbentia subire, et adimplere debeat, et teneatur, ad quam vicariam, ut infra erigendam, seu instituendam et pro hac prima vice, et a primæva illius erectione, et institutione ut infra facienda, et deinceps dum illa pro tempore vacare contigerit nominatio personæ idoneæ ab ordinario loci prius examinandæ, et ad curam animarum hujusmodi exercendam approbandæ, ac in ea ad nominationem hujusmodi per eundem ordinarium loci, aut alias canonice instituendæ ad prædictum modernum, et pro tempore existentem magnum priorem dicti magni prioratus, prout antea per ipsum ad dictam parochialem ecclesiam per te, ut præfertur, supprimendam et extinguendam peragebat spectare, et pertinere debeat dicta auctoritate Nostra similiter perpetuo erigas, et instituas.

§. 6. Eidemque vicariæ sic per te erigendæ, et instituendæ pro illius competentis dote, illamque pro tempore obtinentis congrua sustentatione, onerumque illi incumbentium supportatione ex dictæ parochialis ecclesiæ per te, ut præfertur, supprimendæ, et extinguendæ fructibus, redditibus, et proventibus prædictis summam ab omni, et quocumque onere liberam, immunem, et exemptam ab eodem Petro rege fidelissimo, uti magno priore dicti magni prioratus præfigendam, dictoque vicario pro tempore existenti quotannis in perpetuum persolvendam, et per vicarium prædictum percipiendam, exigendam, et levandam, ac in suos usus, et utilitatem convertendam simili auctoritate Nostra pariter perpetuo constituas, et assignes.

§. 7. Nos enim si suppressionem, extinctionem, applicationem, appropriationem, erectionem, institutionem, constitutionem, et assignationem hujusmodi per te earundem præsentium vigore fieri contigerit, et postquam illa facta fuerint easdem præsentibus, et in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel quolibet causa quantumvis juridica, et legi-

tima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, aut alio quolibet quantumvis substantiali, substantialissimo, et inexcogitato, ac specialem mentionem, et expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, et terminos juris reduci aut adversus illas restitutionis in integrum aut aliud quodcumque juris, vel facti aut gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine concessio, et impetrato quempiam uti, seu se jvari posse, neque illas sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, supplicationibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas, et quodcumque, etiam in crastinum assumptionis successorum Nostrorum Romanorum pontificum pro tempore existentium, et cujuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, ac alias sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi de eisdem præsentibus, earumque toto tenore specialis mentio fiat in posterum edendas comprehendere; sed semper ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt toties in pristinum, et validissimum, ac eum in quo antea quomodolibet erat statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quodcumque eligenda concessas esse, et fore, snosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari.

§. 8. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictæque Sedis nuncios judicari, et definiiri debere; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, et inane decernimus.

§. 9. Non obstantibus voluntate Nostra prædicta, ac Lateranensis concilii novissime celebrati suppressiones, et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentibus, aliisque quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus

Clausula sublatæ, et decretum irritum.

Derogatio contrariorum.

Assignantur bona pro nova vicaria instituenda loco parochiæ suppressæ.

Tollitur omne jus remedium ne adversus plenariam executionem litterarum apostolicarum quilibet obici possit.

conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, seu quælibet alia, etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, etiam inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, etiam insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis super implemento onerum bonis adnexorum.

§. 10. Volumus autem quod omnia et singula dictæ parochialis ecclesiæ per te, ut præfertur, supprimendæ, et extinguendæ, ac cappellarum prædictarum minime, ut præfertur, collativarum onera, quibus prædicti fructus etiam per te, ut præfertur, applicandi, et appropriandi obligati reperiuntur monasterium prædictum adimplere facere teneatur. Datum Goritiæ anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo octuagesimo primo, idus martii pontificatus Nostri anno septimo.



CCCIV.

Dat. die  
14 martii  
1781  
Anno VII.

Dismembratio ecclesiarum s. Quirici, et s. Blasii a monasterio s. Frigidiani civitatis Lucanæ, et applicatio bonorum monasterii pro erectione universitatis studiorum.

Dilecto filio Nostro Andreæ S. R. E. presbytero cardinali Giovannetti nuncupato ex dispensatione apostolica archiepiscopo Bononiensi.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem,  
et apostolicam benedictionem.

§. 1. **U**niversi Dominici gregis cura humilitati Nostræ demandata Nos urget, ut ad ea, quæ alias a Nobis ad sacrarum, eisque ancillantium bonarum artium studia promovenda, fovendaque ad catholicæ Ecclesiæ utilitatem, ac reipublicæ bonum provide, prudenterque fuerunt constituta, si aliqua ex parte, vel a Nobis volitam, exoptatamque utilitatem sortita non sunt, vel etiam ita Nostræ pastoralis sollicitudini concediti gregis bono consultum, ne exinde aliqua incommoda exoriri queant, mentis Nostræ intuitum convertamus, sic disposita, vel moderando, vel declarando, vel etiam quatenus opus sit, de medio tollendo, prout omnibus rerum circumstantiis mature perpensis in Domino salubriter expedire conspiciamus.

Proemium

§. 2. Alias siquidem per Nostras literas in simili forma Brevis die XIX. Julij mox elapsi anni MDCCCLXXX. expeditas votis, ac precibus pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum antianorum, ac vexilliferi reipublicæ Lucanæ Nobis humiliter porrectis annuentes venerabili fratri archiepiscopo Lucano commisimus, ac mandavimus, ut prævia suppressione, ac extinctione antiquorum prioratus, et canonicatum ecclesiæ s. Frigidiani, ac cujuscumque regularitatis, et conventualitatis monasterij prædictæ ecclesiæ adnexi ad canonicos regulares congregationis Lateranensis ordinis s. Augustini spectantium bona omnia, jura, ac actiones quascumque ad eandem ecclesiam, et monasterium pertinentia piæ institutioni ad promovenda tum sacra, tum philosophica, tum juris canonici, et civilis, aliarumque liberalium artium studia in civitate Lucana erigendæ uniret, ac incorporaret. Statuimus insuper mo-

Memorantur aliæ literæ expeditæ super suppressione prioratus, et canonicatum ecclesiæ s. Frigidiani.

dum, ac formam in posterum observandam, tum quoad curam animarum, quam tunc in dicta ecclesia s. Frigidiani ereximus, cum quoad alias duas ecclesias ssmi Salvatoris nempe, et s. Leonardi tunc parochiales filiales in agro Lucano existentes, illisque unicuique tamen habita ratione tum onerum adnexorum, cum ejusdem ecclesie splendoris, ex bonis predictis debitam congruam concessimus, ac assignavimus, aliaque etiam, quae ad feliciorum earundem ecclesiarum statum opportuniora esse compertum est, decrevimus, ac constituimus, prout in memoratis Nostris literis, quarum tenorem presentibus pro plene, et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

§. 3. Verum cum olim usque ab anno scilicet MCCXCIII, per bo. mem. Octavianum Ubaldini tunc existentem episcopum Bononiensem sub die nona februarii stipulata fuerit donatio plebis s. Quirici de Casio favore prioris, et canonicorum s. Frigidiani cum omnibus juribus, et pertinentiis suis spiritualibus, et temporalibus, ac corporalibus quibuscumque ad plebem ipsam spectantibus, et pertinentibus in suo plebata, ac cappellis cum onere curae animarum in eadem plebe de Casio in ecclesia s. Quirici existente, ac postmodum cum nempe fel. record. pp. Leo X. predecessor Noster per suas literas die xiii. octobris anni MDXVII. sub plumbo datas ecclesiam s. Frigidiani una cum suis bonis, juribus, et actionibus, praevia suppressione prioratus, ac antiquorum canonicatum dictae congregationi, et ordini canonicorum regularium Lateranensium univerit, ac incorporaverit bona etiam, ac jura ad plebem de Casio spectantia, ac priori, et antiquis canonicis s. Frigidiani per episcopum Bononiensem, ut praedicitur, donata in eandem congregationem, et ordinem expresse fuerint translata, adeo ut canonici regulares praedicti in posterum usque in praesens pacifice nedum in dicta ecclesia s. Quirici plebis de Casio, ac in altera ecclesia s. Blasij, quae in parochialem fuerat erecta, cura animarum functi sint, sed etiam bonis, juribus, et actionibus, ut praedicitur, donatis semper usi, potiti, ac gavisissimi, ob memoratam propterea regularitatis, et conventualitatis tum ecclesiae s. Frigidiani, tum adnexi monasterii suppressionem, ac honorum quorumcumque ad illa spectantium pie institutioni studiorum in civitate Lucana

erigendae, ut praedicitur, unionem, bona, jura, ac actiones ad dictas parochiales ecclesias s. Quirici, et s. Blasij plebis de Casio in tua dioecesi Bononiensi existentes eidem pie institutioni perpetuo incorporata extiterunt. Ast cum haec omnia ad audientiam Nostram nuper pervenerint, ac etiam tui nomine Nobis expositum fuerit, te, qui pastoralis charitate gregem tuae vigilantiae commissum incunctanter prosequeris, ut quemadmodum in praedictis Nostris literis dictarum, duarum ecclesiarum parochialium in agro Lucano existentium, ac alias dicti monasterii filialium bono, ac utilitati provide consultum fuit, sic etiam ad dictas parochiales ecclesias plebis de Casio, praesertim cum intra ditionem ecclesiae ipsae, et bona ad eas spectantia sita reperiantur, apostolicae Nostrae providentiae intuitum convertere dignaremur, summopere desiderare.

§. 4. Nos igitur, licet ad promovenda, fovendaque tum sacra, tum liberalium artium studia in civitate Lucana summopere intenti supplicationibus pro parte dictorum antianorum, ac vexilliferi reipublicae Lucae porrectis auquentes omnia, et singula bona, jura, et actiones ad monasterium s. Frigidiani quomodocumque pertinentia, ut praedicitur, concesserimus, animo tamen reputantes unionem, ac incorporationem hujusmodi quoad bona quoque alias ad parochiales ecclesias plebis de Casio pertinentia, et, ut praemititur, ecclesiae, ac canonicis s. Frigidiani donata potius in animarum Christianorum inter illarum septa commorantium, ac Nostrorum et s. Sedi in temporalibus subditorum detrimentum, quam in illarum favorem, et utilitatem, ut mens profecto Nostra fuerat, nisi aliter de bonis praedictis disponatur, fore cessuras, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, memoratas Nostras literas diei xix. julij MDCCLXXX. ut praedicitur, expeditas praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habeates, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictas duas parochiales ecclesias s. Quirici, et s. Blasij plebis de Casio tuae dioecesis Bononiensis cum omni illarum parochialitate, suisque jurisdictionibus, ac dependentiis a memorata ecclesia, ac monasterio s. Frigidiani, ut praedicitur, suppresso harum serie dividimus, ac

Dismembrantur ecclesiae s. Quirici, et s. Blasii ab ecclesiis Frigidiani, et reservatur jus nominandi ad s. Sedem, et episcopum ad tramites privilegiorum ecclesiae Bononiensis.

Quae fuerit dispositio praesul's Ubaldini episcopi Bononiensis memoratur super datione plebis s. Quirici de Casio, et ultimis status ecclesiae s. Frigidiani.

dismembramus, easque divisas, ac dismembratas esse motu, scientia, auctoritate, et tenore prædictis statuimus, ac declaramus, illarumque propterea collationem, quoties una, aut altera vacare contingerit, aut ad Nos, ac ad Sedem apostolicam, aut ad archiepiscopum Bononiensem pro tempore existentem cum consueta mensium alternativa, ac juxta Nostras, et cancellariæ apostolicæ regulas, ac hujus tuæ ecclesiæ Bononiensis privilegia, et indulta motu, scientia, auctoritate, et tenore prædictis reservamus.

Bona spectantia ad monasterium s. Frigidiani assignantur pro erectione piæ institutioni studiorum.

§. 5. Præterea bona omnia, et singula, in hac tua diœcesi existentia, ac in loco plebis de Casio sita, cujuscunque generis sint, et alias ad toties memoratum monasterium s. Frigidiani, ut prædicitur, suppressum pertinentia, vel quod a memorato Leone prædecessore in dictum monasterium fuerint translata, ac unita, vel quod postmodum a canonicis regularibus prædictis fuerint acquisita, quæque alias per Nostras literas in simili forma Brevis, ut prædicitur expeditas, piæ institutioni studiorum in civitate Lucana erigendæ una cum aliis bonis, juribus, et actionibus ad memoratum monasterium s. Frigidiani fuerunt unita, ac incorporata, ab eadem pia institutione, motu, scientia, ac auctoritate paribus pariter tenore præsentium dismembramus, dividimus, ac separamus, atque dismembrata, divisa, et separata esse, et fore motu, scientia, et auctoritate prædictis, decernimus, ac declaramus.

Deputatio executoris apostolici, cum expressis legibus, et declarationibus.

§. 6. Quo circa circumspeditioni tuæ harum tenore committimus, et mandamus, ut assignata ex hisce bonis unicuique ex parochis ecclesiarum parochialium sancti Quirici, et sancti Blasii plebis de Casio congrua, quæ minor non sit annui redditus scutorum centum monetæ Romanæ, ac etiam detracta ea eorundem bonorum quantitate, quæ ad ouera missarum, aliaque pia legata dictis ecclesiis adnexa satisfacienda sufficiens videbitur, quod reliquum est, tuo archiepiscopali seminario cum onere recipiendi, ac admittendi inter ejusdem seminarii alumnos unum clericum tuo, tuorumque successorum arbitrio eligendum de plebe de Casio, seu de finitimis parochiis, qui habeat requisita, et conditiones præscriptas a diœcesana synodo, et cujus mores, ac vitæ integritas eum futurum fore bonum agricolam in vinea Domini, ac in utilitatem, et tuæ diœcesis decus cessurum spem afferant,

auctoritate Nostra apostolica unias, incorporates, ac adnectes, et unita, incorporata, ac adnexa esse decernes, atque declares.

§. 7. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cui libet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritum.

§. 8. Non obstantibus memoratis Nostris literis in forma Brevis expeditis, ac Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de unionibus, seu applicationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et de exprimendo vero valore bonorum ecclesiasticorum uniuersorum, seu applicandorum, et altera regula de jure quæsito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissimi celebrati uniones, seu applicationes perpetuas non nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, nec non, quatenus opus sit, memorata donatione a dicto Octaviano Ubaldini episcopo Bononiense anno MCCXCIII. stipulata, ac memorati Leonis pp. X. prædecessoris literis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac congregationibus, et ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et

Derogatio contrariorum



insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud s. Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta martii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

celebrari solet perpetuis futuris temporibus sumere libere, ac licite possitis, ac valeatis auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die decima quarta martii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio contrariorum.

CCCV.

Dat. die  
14 martii  
1781  
Anno VII.

Licentia perpetua monialibus cappucinis monasterii sanctæ Floræ civitatis plebis diœcesis sumendi s. communionem in missa solemnem in nocte nativitatis D.N.J.C. celebrari solita.

Dilectis in Christo filiabus, seu priorissæ, et monialibus monasterii monialium cappuccinarum sanctæ Floræ civitatis Plebis diœcesis.

Pius PP. VI.

Dilectæ in Christo filiæ salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio præcum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecistis, quod ob specialem consolationem, et animarum vestrarum profectum in solemnem missa, quæ in nocte nativitatis Domini Nostri Jesu Christi celebrari solet, sanctissimo Eucharistiæ sacramento refici cupiatis: Nobis propterea humiliter supplicari fecistis, ut vobis in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concess. sionis.

§. 2. Nos igitur spirituali vestræ consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, vosque specialibus gratis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: vobis, ut peccata sacramentali peccatorum vestrorum confessione, sacram communionem in missa solemnem, quæ in nocte nativitatis Domini Nostri Jesu Christi

CCCVI.

Dat. die  
21 martii  
1781  
Anno VII.

Derogatur constitutionibus ordinis Redemptionis Captivorum volentibus quolibet triennio convocari capitulum generale pro electione commissarii generalis etc. et celebratio hujusmodi capituli ad sexennium prorogatur.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Sollicitudo Ecclesiæ universalis per bonorum omnium largitorem Nobis injuncta exigit, ut religiosos Dei famulos, eique placentes ordines regulares, qui relictis mundi illecebris, et arctam viam, quæ ducit ad vitam, ingressi, sequuti sunt Dominum Redemptorem Nostrum gratis apostolicis fovere, et modis omnibus propugnare studeamus.

Proemium.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus a sancto Joanne Baptista procurator generalis fratrum ordinis sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum excalceatorum nuncupatorum, quod ex constitutionibus, seu ordinationibus ordinis prædicti auctoritate apostolica confirmati cautum, præscriptumque reperitur, ut præter capitula provincialia, quæ a quacumque provincia quolibet triennio habentur, capitulum etiam generale intermedium, quolibet tertio anno sexennii regiminis ministri generalis ordinis hujusmodi pro electione commissarii generalis, ac definitorum generalium convocetur; utque insuper si eveniat durante sexennio regiminis ministri generalis ipsum de-

Expositio præcum.

ficere, primus definitorum generalium quam primum capitulum generale ad eligendum vicarium generale, cuius munus duret usque ad complementum sexennii indicati, quo absoluto, novumque capitulum generale pro electione ministri generalis habeatur.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ob miseram horum temporum calamitatem, ac imminutam Christianorum in regulares ordines observantiam, ac pietatem elemosynæ, piæque oblationes adeo decreverint, ut memoratus ordo necessariis itinerum impensis pro iis præsertim religiosi, qui in dissitis regionibus commorantur, quolibet triennio pro electione commissarii generalis, ac definitorum generalium satisfacere, minus vero etiam intra paucos menses eveniente obitu ministri generalis exeunte sui regiminis sexennio iterare omnino impar sit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur ipsius Petri votis, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et penis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac memoratas ordines prædicti constitutiones proplene, et sufficienter insertis, ac expressis habentes de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis, ac consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum consilio præfata capitula intermedia pro electione commissarii generalis, ac definitorum haberi solita auctoritate apostolica, tenore præsentium omnino tollimus, ac abrogamus, eaque de cætero non amplius haberi, sicut convocari posse statuimus, ac declaramus; immo officia moderum commissarii generalis, ac definitorum, quæ in dicto capitulo intermedio immutari consueverant, usque ad convocationem capituli generalis, in quo in posterum, ac perpetuis futuris temporibus eadem officia ad sexennium erunt conferenda, auctoritate, et tenore prædictis extendimus, ac prorogamus.

§. 5. Præterea expedire censentes, ne memoratus ordo in casu, quo illius minister generalis, vel commis-

sarius generalis in postremo sui respectivi officii anno e vivis excedat, iteratis itinerum expensis ad eligendum vicarium generale, vel vice-commissarium generale prægravetur, priorem, seu primum ex respectivis definitibus tamquam vicarium generale, aut vice-commissarium generale regimen totius ordinis, ac familiæ usque ad novum capitulum generale quolibet sexennio, juxta ejusdem ordinis statuta, ac constitutiones quolibet sexennio indicendum, quin congregatio generalis pro ejusdem vicarii, seu vice-commissarii generalis electione deinceps sit convocanda, assumere auctoritate, ac tenore prædictis sancimus, ac declaramus, ac ita perpetuis futuris temporibus occurrente obitu alterutrius ex dictis superioribus generalibus in postremo officii sui anno servari volumus, ac mandamus.

§. 6. Quoniam autem in memoratis capitulis intermediis, ut præfertur, abrogatis præter officia commissarii generalis, ac definitorum, quæ in eis ad triennium eligi consueverant, et quæ per Nos fuerunt ad sexennium prorogata manera, etiam ministri conventuum tum sancti Karoli ad quatuor Fontes, tum sanctæ Mariæ Fornacis, seu collegii de Propaganda Fide almæ Nostræ urbis, cum demum Mediolani ad triennium conferebantur; constitutiones vero, ac statuta ordinis prædicti prospicientes ad eventum, quo capitulum generale intermedium haberi nequeat, jus eligendi ministros dictorum conventuum in familiam uniuscujusque conventus transferant, in quo mentis, ac intentionis Nostræ non est eisdem statutis, ac constitutionibus derogare: ad tollenda propterea omnia dubia, ac ambiguitates, quæ ex præmissis exoriri deinceps possent, constitutiones, ac statuta prædicta, quoad electionem ministrorum dictorum trium conventuum sancti Karoli nempe ad quatuor Fontes, sanctæ Mariæ Fornacis, seu collegii de Propaganda Fide, ac Mediolani, salva penitus, ac illæsa esse auctoritate, ac tenore prædictis volumus, ac mandamus, eisque ullo modo derogare intendimus, atque declaramus.

§. 7. Decernentes has præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabi-

ster generalis vel commissarius decesserit in officio.

Consultur etiam aliis muneribus in conventu s. Caroli ad quatuor fontes, et s. Mariæ Fornacis de urbe.

Clausula sublitera, et decretum irritans.

Ratio pro decernenda derogatione constitutionum.

Tenor derogationis.

Statuitur modus servandus pro electione vicarii et ministri-

liter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-  
trariarum.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non prædicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 9. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima prima martii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCVII.

Confirmatur concessio præbendæ fratribus conventualibus conventus oppidi Sanmaxiensis, diocesis Pictaviensis a proceribus dicti oppidi alias facta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres ordinis minorum sancti Francisci conventuales nuncupati conventus oppidi civitatis nuncupati Sanmaxiensis, diocesis Pictaviensis, quod alias ob zelum tum in tuenda fide Catholica præcipue adversus Calvinianam hæresim in dicta diocesi quam maxime debacchantem, tum etiam in omnibus præstandis christianæ charitatis officiis dicti oppidi civitatis nuncupati incolis, dum dira pestis ibidem grassabat, quo jugiter dicti exponentes fungi non destiterunt, proceres ejusdem oppidi, seu civitatis Sanmaxiensis, ut opem in eorum extrema paupertate illis præberent, unam ex duabus foundationibus, seu præbendis sanctæ Mariæ Magdalensæ nuncupatæ, quæ vulgo dicuntur *Stipendies* existentibus in ecclesiis parochialibus sancti Saturnini, et sancti Leodegarii oppidi, seu civitatis prædictæ, eam nempe, quæ in ecclesia sancti Saturnini existit, quæque postea de ordinarii consensu, et domini loci fuit commutata cum alia, quæ existit in ecclesia sancti Leodegarii, ut Nobis constare fecerunt conventui dictorum exponentium, alias fratrum sancti Francisci minorum observantium nuncupatorum concessere.

Exponitur erectas fuisse præbendas pro tuenda fide catholica contra hæresim Calvinianam.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet exponentes prædicti a duobus sæculis hac sibi concessa præbenda pacifice usi, potiti, et gavisi sint, ac etiam diligenter, accurateque adnexis oneribus satisfecerint, nihilominus ne ullo unquam tempore hujusmodi concessio ex aliquorum malitia, aut invidia conventui prædicto deficiat, utque firmiter subsistat, apostolicæ Nostræ confirmationis patrocinio communitari eam summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Postulatur erectio confirmatio.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi

Tenor confirmationis.

Dat. die  
6. aprilis  
1781  
Anno VII.

volentes, et a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa lalis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, concessionem præbendæ, ut præfertur, dictis exponentibus a proceribus oppidi civitatis nuncupatæ Sanmaxiensis alias factam, dummodo tamen eam adhuc pacifice possideant, apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique perpetuæ inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiciamus.

*Clausula subla-  
ta, et decre-  
tum irritans.*

§. 4. Decernentes has præsentis literas perpetuis futuris temporibus firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici audiri iudicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Derogatio con-  
trariorum.*

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictæ diœcesis Pictaviensis, nec non ordinis prædicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et foris, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petram sub annulo piscatoris die sexta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCVIII.

Dat. die  
6 aprilis  
1781  
Anno VII.

Ecclesiastica bona in diœcesibus Parmensi, Placentina, Burgi sancti Domini, et oppido Guastallæ existentia subiiciuntur solutioni vectigalium.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii communitates, et homines, seu publici repræsentantes civitatum Parmensis, Placentinæ, Burgi sancti Domini, et oppidi Guastallæ, quod alias recolendæ memoriæ Benedictus XIV. prædecessor Noster per suas literas in simili forma Brevis die xxviii. januarii MDCCCLIV. expeditas, commiserans eorum angustias, et calamitates, in quibus ob præterita bella, aliasque adversitates versabantur, episcopis eorumdem civitatum, ut quisque in sua respective civitate, ac diœcesi, exemptiones, immunitates, quibus ecclesiastici tam sæculares, quam regulares, nuper quibusdam rerum generibus gaudebant, ac fruebantur, intra quemdam a se præscriptum modum coercerent, ac moderarentur, et insuper ut quæcumque bona immobilia, quæ deinde a laicorum dominio in personarum ecclesiasticarum, aut monasteriorum, aliorumque locorum piorum proprietatem, sive dominium, aut possessionem per quoscumque contractus inter vivos, seu per ultimas voluntates transire contigisset iisdem omnibus impositionibus, oneribus, et gravaminibus, quibus antea dum in manibus laicorum erant, obnoxia, et gravata fuerant nullo prorsus excepto, in posterum subjacere deberent, ejusdem Benedicti prædecessoris auctoritate statuerent, ac declararent.

*Memorantur  
literæ datæ a  
Benedicto XIV  
quibus exem-  
ptio a solu-  
tione vectiga-  
lium indulta  
fuit.*

§. 2. Sed quoniam sicut eadem expositio subungebat hujusmodi provisio a dicto prædecessore Nostro Benedicto, ut præfertur, capta pro earumdem communitatum indigentis sublevandis minime sufficere experientia comperitum fuerit, atque res alienam per ipsas contractum in tantam nunc excreverit quantitatem, ut non solum capiti, sive sortis extinguendæ, sed etiam ejus usuris exolvendis, bona, et facultates laicorum impares, et insufficientes sint; quare nisi ad ferenda communia onera etiam ecclesiastici, tam sæculares, quam regulares pro quibusdam eorum bonis,

*Proces porre-  
ctæ pro am-  
pliatione con-  
cessionis factæ  
a Benedicto  
XIV.*

et redditibus accurrant, manusque ad-  
iutrices porrigant, quod alias in civita-  
tibus, et diocesis Parmensi, et Plac-  
entina a felicitis recordationis Cle-  
mente VII., et Paulo III. prædecesso-  
ribus Nostris mandatum esse, atque ob-  
servatum asseritur, fore ut brevi ad  
summam egestatem, rerumque inopiam  
redigantur. Propterea Nobis humiliter  
supplicari fecerunt, ut sibi in præmis-  
sis opportune providere, et ut infra in-  
dulgere de benignitate apostolica digna-  
remur.

Mandat præ-  
missis ponti-  
ficis observari  
eadem litteras  
Benedictinas.

§. 3. Nos autem, qui etsi in tuen-  
da ecclesiastica immunitate, ab omni-  
bus, et quibuscumque oneribus, non  
solum personarum, sed etiam bono-  
rum, quæ Deo, ejusque ecclesiæ di-  
cata, divino cultui, sacrarum ædium  
splendori, sacris ministris alendis, et  
pauperibus sublevandis potissimum in-  
serviunt pro Nostro pastoralis munere,  
quod immerentes gerimus, maxime an-  
xii, ac solliciti simus, quoties tamen,  
vel honor Dei, vel salus animarum,  
vel publica utilitas, aut necessitas exi-  
git, ad apostolicam providæ dispensa-  
tionis indulgentiam, quantum in Do-  
mino possumus, animum Nostrum in-  
ducere non recusamus, existimantes,  
et in Domino judicantes, exponentium  
votis annuendum esse, eorumque ne-  
cessitatibus, quantum Nobis datum est,  
celerem opem, atque auxilium afferri  
oportere, eorumdem singulares perso-  
nas a quibusvis excommunicationis, et  
interdicti, aliisque ecclesiasticis censu-  
ris, sententiis, et pœnis quovis modo,  
et quacumque de causa latis, si quas  
forte incurrerint, hujus tantum rei gra-  
tia absolventes, et absolutas fore cen-  
sentes, hujusmodi supplicationibus in-  
clinati, attento præcique testimonio ve-  
nerabilium fratrum Nostrorum episco-  
porum Parmensis, Placentini, et Bur-  
gi sancti Domnini ad Nos transmis-  
so, quo certam, ac indubitam fidem  
de omnibus Nobis superius expositis fe-  
cerunt, primum quidem præfatas li-  
teras Benedicti XIV. prædecessoris No-  
stri editas die xxviii. januarii anno  
MDCCLIV. in ea tantum parte præci-  
pimus observari, atque debitæ execu-  
tionis mandari, quæ cum novis Nostris  
hic præscribendis ordinationibus, ac gra-  
tiis, quas communitatibus prædictis con-  
cedimus, atque indulgemus, congruit,  
et consentit: volentes, ut omnes, et  
quicumque ecclesiastici tam sæculares,  
quam regulares omnibus, et singulis  
immunitatibus, exemptionibus, et fran-  
chigiis super iisdem rerum generibus,  
*Bull. Rom. Tom. VI.*

quibus ante emanationem dictarum li-  
terarum gaudebant, ac fruebantur, at-  
que etiam nunc fruuntur, et gaudent,  
ita in posterum a die tamen dumtaxat,  
quo prædicti ecclesiastici sæculares,  
aut ad sacrum subdiaconatus ordinem  
promoti fuerint, aut beneficium aliquod  
ecclesiasticum adepti; regulares vero a  
die, quo religioni nomen dederint,  
frui, ac gaudere debeant, sublata re-  
liquis quibuscumque clericis quacum-  
que franchigia, et exemptione.

§. 4. Præterea motu proprio, ac ex  
certa scientia, et matura deliberatione  
Nostris, deque apostolicæ potestatis ple-  
nitudine tenore præsentium constitui-  
mus, præcipimus, atque mandamus,  
omnia, et singula bona, prædia, fun-  
dos, agros, molendina, follos, domos,  
nec non livellos, assictus, aut locatio-  
nes sive annuas, sive perpetuas, alios-  
que redditus cujuscumque generis, et  
conditionis ad quascumque personas tam  
sæculares, quam regulares, monaste-  
ria, conventus, collegia, hospitia tam  
virorum, quam mulierum, nec non ad  
quascumque ecclesias, et mensas epi-  
scopales, abbatiales, conventuales, ca-  
pitulares, et ad prioratus, præposituras,  
canonicatus, et præbendas, atque ad  
alia quæcumque beneficia etiam de  
jurepatronatus laicorum spectantes, et  
spectantia, quæque ab iisdem ecclesiis,  
et monasteriis, locis piis, conventibus,  
aliisque supramemoratis personis ante  
annum MDCXX inclusive, quocumque  
jure, causa, aut titulo in locis, ac ter-  
ritoriis, universaque ditione civitatum  
Parmæ, Placentiæ, Burgi sancti Domnini,  
atque oppidi Guastallæ adeptæ, compa-  
rata, et acquisita fuerint, eorumque  
possessionem, ac proprietatem adhuc  
retinent, vel si vendita, ac alienata  
fuerint, alia sive ejusdem, sive alte-  
rius generis pro æquali quantitate in lo-  
cum venditorum subrogaverint, ab omni-  
bus, et quibuscumque oneribus, colle-  
ctis, impositionibus, vectigalibus, ga-  
bellis realibus, personalibus, aut mi-  
xtis, ordinariis, et extraordinariis im-  
positis, aut in futurum quomodolibet  
imponendis, immunita, exempta, ac li-  
bera esse, ac in perpetuum quando-  
cumque, eadem immunitate, exem-  
ptione, ac libertate frui, et gaudere  
debere, exceptis dumtaxat tum rurali  
onere, pro rata tamen, quæ in quali-  
bet respective diocesi ab ecclesiasticis  
persolvi consuevit, tam subsidio foren-  
si, quod in territorio Placentino *Tassa  
dell' estimo de' magnifici feudatarii fo-  
rensi di Piacenza* appellatur, pro eis

Ampliatu-  
r in-  
dultum ad bo-  
na quomodo-  
cumque acqui-  
sita, vel per-  
mutata.

tantum bonis, quæ in eodem territorio Placentino prædicto oneri obnoxia erant, et in ecclesiasticorum possessionem quocumque tempore etiam post annum MDCXX transierunt, tum demum taxa pro cavamentis, atque aggeribus ad ripas fluviorum construendis, reficiendis, muniendis, ac respective reparandis, quorum tanta est in republica utilitas, ut hujusmodi taxæ persolvendæ fratres etiam ac moniales ex ordinibus mendicantium in territorio Parmensi teneantur, juxta apostolicas literas in forma Brevis sancti Pii pp. V. prædecessoris Nostri sub die x. augusti anni MDLXXI., quas tenore præsentium ad territoria civitatum Placentiæ, Burgi sancti Domini, ac oppidi Guastallæ extendimus, ac ampliamus, ac quatenus opus sit de novo concedimus, ac confirmamus, servata tamen in omnibus earumdem literarum supradicti Pii pp. V. forma, tenore, legibus, ac conditionibus in eisdem præscriptis; supradictum enim rurale onus, atque subsidium forense, ac demum taxam prædictam in superius per Nos concessa immunitate, atque exemptione non comprehendi, sed sicuti hactenus ab ecclesiis, monasteriis, aliisque locis piis respective persolvi consuevit, ita in posterum persolvi debere pro eorum bonis tam ante, quam post annum MDCXX acquisitis, tenore præsentium præscribimus, atque jubemus.

Excluduntur tamen bona alienanda, etsi pervenerint in manus privilegiate persone.

§. 5. E contra vero eodem pariter motu proprio, et ex certa scientia, matura deliberatione, et de plenitudine apostolicæ potestatis, tenore præsentium constituimus, præcipimus, et mandamus, omnia, et singula bona, prædia, fundos, agros, molendina, follos, domos, nec non livellos, affictus, aut locationes, sive annuas, sive perpetuas, aliosque redditus cujuscumque generis, et conditionis, etiamsi sint primæ erectionis, ad quascumque personas tam sæculares, quam regulares quibusvis privilegiis suffultas, ac munitas, et quacumque dignitate præ eminentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, ad quæcumque monasteria, conventus, collegia, hospitia, et alia loca pia sæcularia, et regularia utriusque sexus, etiam undecim congregationum, et quarumcumque militiarum, etiam fratrum sancti Joannis Hierosolymitani, et sancti Georgei, ordinis equestris Constantiniani, ac sanctæ Mariæ della Steccata vulgo nuncupatæ, nec non ad quascumque ecclesias, et menses episcopales, abba-

tiales, conventuales, capitulares, et ad prioratus, præposituras, canonicatus, præbendas, et alia quæcumque beneficia de jure patronatus cum cura, et sine cura etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium quocumque jure, ac titulo spectantes, et spectantia ab anno MDCXX. exclusive, usque in præsentem diem, quocumque modo, ac jure perventos, seu perventa, acquisitos, seu acquisita, et quæ in futurum pervenient, et acquirentur in civitatibus, locis, ac territoriis prædictarum civitatum Parmensis, Placentiæ, Burgi sancti Domini, et oppidi Guastallæ existentia, omnibus, et singulis oneribus, gravaminibus, collectis, gabellis, et impositionibus quibuscumque tam reallibus, quam mixtis, tam ordinariis, quam extraordinariis, quæ vel ante, vel post hujusmodi transitum in manus ecclesiasticas, seu per viam novæ impositionis, sive per viam augmenti, aut alia ratione, nomine, causa, aut modo quocumque super bonis laicorum imposita fuerint, aut in posterum imponi contigerit, omnino obnoxia, subjecta, et obligata esse, ita tamen, ut bona ruralia ecclesiasticorum, et ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque locorum piorum in hujusmodi collectarum, et onerum exactione, perinde considerentur, atque habeantur, ac si essent bona a civibus in civitate degentibus possessa, quamvis eorum possessores extra civitates in castris, vel in oppidis, vel ruri in agris commorentur.

§. 6. Ab hac tamen onerum, et vectigalium solutione exempta pariter esse præcipimus, ac declaramus ea omnia bona, quæ quamvis post prædictum annum MDCXX. ab ecclesiis, aliisque locis piis, ac personis ecclesiasticis acquisita fuerint, in locum tamen aliorum bonorum, quæ ante prædictum annum ab iisdem possidebantur, subrogata fuerint, vel quæ pro parochorum congrua portione ad ratam taxæ conciliaris assignata sunt, vel deinceps assignabuntur, vel quæ, sive ecclesiastica, sive laicalia in patrimonium clericis ad sacros ordines promotis, intra tamen taxam synodalem constituta fuerint, vel in posterum constitui contigerit, quæ plenissima onerum exemptione, ac immunitate, sicut cætera bona ante annum MDCXX. acquisita frui, et gaudere debent, atque debent, tribus supradictis oneribus dumtaxat exceptis, onere videlicet rurali subsidio foreasi appellato = *tassa dell' estimo de' magnifici*

Declarationes speciales.



*feudatari forensi di Piacenzæ* = ac de-  
mum contributione pro cavamentis, at-  
que aggeribus ad ripas fluvium, jux-  
ta literas apostolicas sancti Pii pp. V.,  
atque secundum ea, quæ superius a No-  
bis præscripta sunt circa reliqua bona  
ab ecclesiasticis ante annum MDCXX.  
comparata.

§. 7. Ut vero facilis, ac parata me-  
thodus, ac ratio statuatur, qua con-  
ventus, monasteria, loca pia, et eccle-  
siasticæ personæ prædictæ probare pos-  
sint, eorum bona acquisita, et compa-  
rata fuisse ante annum MDCXX., vo-  
lumus, atque mandamus, quod omnia  
quæcumque bona, redditus, ac proven-  
tus cujuscumque generis, et qualita-  
tis, qui in catastribus pro territorio Parmensi, ac Burgi sancti Domnini anno MDLXXXVIII.; pro territorio vero Placentino anno MDXCVI confectis, et pro territorio Luzariæ in regestu anno MDCXVII. exarato, tamquam ab ecclesiasticis et ecclesiasticis personis possessa describuntur, et adnotantur, vel si in prædictis catastribus, et regestu adnotata non fuerint, descripta tamen, et adnotata habeantur sub nomine earundem ecclesiarum, et ecclesiasticarum personarum in aliis libris, quos appellant *di voltura*, vel aliis codicibus, aut regestis ante annum MDCXX. confectis, in quibus transitus honorum de una in aliam personam describi consueverunt, tamquam bona ecclesiarum, atque ecclesiasticarum personarum censenda, atque habenda esse, atque propterea absque eo, quod alia ulteriori probatione indigeant, prædicta exemptione, ac immunitate frui, et gaudere debere decernimus, et declaramus. Si vero forte contigerit, nonnulla ex prædictis bonis, ac redditibus ecclesiasticorum, neque in supradictis generalibus catastribus, ac regestu, neque in prædictis libris, aut codicibus, aliisque ut supra descripta inveniri, vel quia libri deficiant, vel quia aliqua ex causa descriptio neglecta fuerit, sed tamen possessores supradictorum honorum, ac reddituum ecclesiasticorum contendant, se aliis probationibus confirmare posse eorundem suorum honorum possessionem anteriorem esse anno MDCXX. præscribimus ac jubemus, ut intra biennium a præsentium Nostrarum literarum publicatione coram ordinariis in propria uniuscujusque diœcesi, vel si prædicta bona in aliena diœcesi fuerint, subiecta tamen sint in temporali communitatibus Parmæ, Placentiæ, Burgi sancti Domnini, et Guastallæ, coram ordinario

*Bull Rom. Tom. VI.*

viciniori præfatarum civitatum, ac oppidi, qui ad hunc dumtaxat effectum tamquam Noster, et apostolicæ Sedis delegatus procedere possit, ac valeat, per scripturas legitimis documentis munitas, quæ ad deputatos deinde dictarum communitatum remittentur, constare faciant, ea ad suum dominium, et possessionem ante dictum annum pertinuisse, et ad præsens pertinere. Cum vero in duobus territoriis Guastallæ, et Regioli non existant catastra ante annum MDCXX. confecta, in quibus ecclesiasticorum regularium, et sæcularium, sive ecclesiarum, et monasteriorum, et locorum piorum bona descripta, et adnotata sunt, sed tantum, ut asseritur, extet pro territorio Guastallæ æstimum anno MDCXXXVII. exaratum, et pro territorio Regioli regestum bonorum ab ecclesiasticis possessorum anno MDCXXIX. absolutum, ideo ne in suis faciendis probationibus indebito onere graventur ecclesiæ, præscribimus, ac decernimus; bona, quæ in prædictis æstimo Guastallæ, et regestu Regioli sub nomine ecclesiarum descripta, et adnotata habentur, censeri, ac præsumi debere tamquam ab ipsis acquisita, ac possessa ante annum MDCXX., ut præfata exemptione frui libere possint, salva tamen facultate hominibus, et communitatibus prædictis Guastallæ, et Regioli intra biennium exhibendi probationes validis, et authenticis documentis munitas coram ordinariis, ut superius decrevimus, præsentandas, ex quibus constare faciant, præscripta bona post annum MDCXX. ab ecclesiis, atque ecclesiasticis personis fuisse acquisita, et comparata.

§. 8. Præterea, ut facilior ecclesiasticis præbeatur modus, quo probationes sibi comparare possint, ut evincant, an ante, vel post annum MDCXX. eorum bona adepti fuerint, illud erit præfatis communitatibus, earumque ministris, secretariis, ac cancellariis injungendum onus, ut quoties ecclesiastici, vel eorum legitimi procuratores recognoscere, atque intueri cupiant in publicis archivis, et tabulariis catastra, libros, codices, aliaque quæcumque publica documenta ad prædictam probationem spectantia, id ipsis permittere absque ulla prorsus impensa debeant, ac teneantur. Omnia autem ecclesiarum, monasteriorum, atque ecclesiasticorum bona, ac redditus supramemorati, atque post annum MDCXX. ab ipsis comparati, et acquisiti, qui harum Nostrarum literarum apostolica-

Quomodo exempti teneantur probare qualitatem bonorum declaratur, et providetur, ut possint libere documenta recognoscere in archivis communitatum.

rum vigore ad solutionem omnium onerum, ac vectigalium in posterum tenebuntur, ab earundem literarum publicatione hujusmodi solutioni, atque onerum, et vectigalium præstationi obnoxia, et obligata esse volumus, ac præcipimus, exceptis dumtaxat iis bonis, quæ quamvis in supradictis antiquis catastribus, æxtimis, aut regestis inter ecclesiasticorum classem descripta non fuerint, eorum tamen possessores probare, ut supra, vellent, vel ea possidere ante annum MDCXX, vel in antiquorum bonorum locum subrogata fuisse, his enim spatium duorum annorum concedimus ad hujusmodi probationes faciendas, quo elapso, si vel authentica documenta exhibere neglexerint, vel nullo modo, quod proposuerant, probare potuerint, statim ad solutionem onerum, sicuti alia quælibet bona post annum MDCXX. ab ecclesiasticis acquisita, teneri, ac obligata esse, præcipimus, ac mandamus.

Clausula sublatæ et decretum irritans.

§. 9. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et spectabit in futurum, cujuscumque status, gradus, ordinis, præmientia, et dignitatis existant, inviolabiliter observari, et adimpleri debere, neque ipsas præsentis literas, etiam ex eo, quod in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causæ, propter quas eadem præsentis emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis justa, legitima, pia, et privilegiata causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis formali, et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, et facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, sed impetrato, aut etiam motu proprio, et de apostolicæ potestatis plenitudine concessio, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti,

seu se juvare unquam posse; sicque, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicæ nuncios, aliosque quoslibet quacumque præmientia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus omnibus, et singulis præmissis, nec non memoratis Benedicti pp. XIV. prædecessoris literis, ac felicitis recordationis Bonifacii pp. VIII. pariter prædecessoris Nostri de una, ac concilii generalis de duabus dietis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, et locorum piorum, ac ordinum, congregationum, societatum, militiarum, et aliorum prædictorum, et quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, et usibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis eisdem ecclesiis, monasteriis, collegiis, conventibus, et locis piis, ac ordinibus, congregationibus, societatibus, militiis, et aliis prædictis, illorumque præsulibus, capitulis, abbatibus, aliisque superioribus, et personis quibuslibet etiam in limine foundationis, et erectionis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, il-

Derogatio contrariorum.

lis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac plenissime, et amplissime derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Prohibitio distractionis bonorum, et fides habenda transumptis.

§. 12. Cæterum volumus pariter, ut juxta piæ memoriæ Clementis pp. V. prædecessoris quoque Nostri in concilio Viennensi editam constitutionem calices, libri, cæteraque ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, prioratum, et beneficiorum, ac locorum piorum sub præsentibus comprehensorum divino cultui dicata, aliave supellex ecclesiastica causa pignoris, vel alias occasione exactionis, et solutionis subsidii, et contributionis hujusmodi nullatenus capiantur, distrahantur, aut quomodolibet occupentur, utque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCIX.

Dat. die  
7 aprilis  
1781  
Anno VII.

Suspensio aperiitionis collegii Martialis nuncupati in civitate Firmana, et applicatio fructuum bonorum pro ædificatione ecclesiæ metropolitanæ ejusdem civitatis.

Ven. fratri Andreæ  
archiepiscopo Firmano

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem  
et apostolicam benedictionem

Proœmium.

§. 1. Quamvis apostolicæ Nostræ auctoritatis partes in utilitatem, ac incrementum collegiorum, et seminariorum, in quibus adolescentes ad pietatem, et sacrarum doctrinarum studia formantur, bonisque moribus imbuuntur ab ipso die quo ad hoc pastorale munus ex ineffabili Dei dispositione fuimus

vocati paternâ sollicitudine interponere, ac conferre expetiverimus; tamen si aliquando ex incostanti mundanarum rerum, ac temporum conditione, unde etiam meliora interdum in pejus delabuntur, collegia seu seminaria hujusmodi ab intenta, rectaque institutione declinantia ea inutilia devenerunt, ac debita considerationis trutina pensatis rerum circumstantiis salubrius fore illorum redditus, vel ad tempus, vel perpetuo alteri pio operi addicere conspeximus, supremæ Nostræ providentiæ officium esse ducimus, ut ubicumque id exigatur officium hujusmodi a nemine desiderari patiamur.

§. 2. Sane, sicut accepimus nonnullis ab hinc annis ob plures abusos qui in collegio Martiali nuncupati istius Nostræ civitatis Firmanæ tum quoad rectam ibidem vivendi rationem, tum quoad ejusdem collegii bonorum, ac reddituum administrationem irrepserant fel. rec. Clemens pp. XIV. prædecessor Noster per suas literas in simili forma Brevis die xxii. augusti anno MDCCLXX. expeditas in dicti collegii visitatorem, ac reformatorem bo. me. Urbanum dum vixit presbyterum cardinalem Paracciani nuncupatum tunc ex apostolica dispensatione archiepiscopum Firmanum prædecessorem tuum deputavit, ac subiinde, auditis prius ejusdem cardinalis visitatoris relatione, ac consilio, cum non aliter ejusdem collegii tum morali, cum oeconomico statui consulere posse intellexisset, quam per novam legum, ac statutorum sanctionem, ac æris alieni, quo gravabatur dissolutionem illud ad suum, ac Sedis apostolicæ beneplacitum claudendum fore mandavit. Cum autem interim tuum seminarium archiepiscopale in adolescentibus tum ad pietatem, ac religionem informandis, cum in ecclesiastica disciplina instituendis, ex tuis præsertim sollicitudinibus, ac studiis fama floreat, ac nedum pauperes, sed etiam ditiores adolescentes, quorum indoles, ac voluntas spem afferat eos in ecclesiastica disciplina progressuros, in eo religiose educari, bonisque artibus institui possint, inutile prorsus hinc videtur nunc dictum collegium Martiale denuo reserare, sed salubrius futurum fore per aliquod tempus redditus, et proventus bonorum ad illud spectantium in utiliore causam erogare.

Clemens XIV. jussit quod collegium clauderetur, noviter aperiendum ad sui beneplacitum.

§. 3. Itaque sicuti Nobis nuper exponi fecisti, licet alias per Nos memorati Urbani cardinalis decessoris tui

Declaratur quomodo metropolitana ecclesia pluri-

ens, ac urgen-  
tissimis indige-  
ret restauratio-  
nibus.

votis, ac precibus annuentes ad novam reedificandam metropolitanam istam ecclesiam, antiqua enim præ sua vetustate adeo fatiscesserat, et minosa, ut hyemali præsertim tempore tremenda Dei misteria, ac sacra officia in ea fieri nisi ægre possent, conspicua summa scutorum quindecim millium circiter alias ad hoc extinctæ societatis Jesu collegium spectantium, sub certis tamen tunc expressis legibus, ac conditionibus fuerint concessa, tamen ob superventum non diu post ejusdem cardinalis Urbani obitum hujus metropolitanæ ecclesiæ meditata reedificatio, ac præfate summe concessio penitus suspensæ manserunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quamvis eandem metropolitanam non de novo reedificare, sed dumtaxat reficere, ac restaurare intendas, nihilominus cum ex mutatis rerum vicibus, adauctisque interim mensæ archiepiscopalis oneribus præfate summe scutorum quindecim millium largitio ob adæxas leges, ac conditiones amplius congruere nequeat, ac ex solis redditibus, et proventus tunc mensæ archiepiscopalis impensæ pro hujusmodi reparatione necessaria satisfacere omnino impar sis, idcirco tibi, ac ejusdem ecclesiæ decori ex providentiæ Nostræ patrocínio consulere quamplurimum desideres.

Mandatum de suspendenda apercitione collegii, et applicandi redditus pro sarcitione ecclesie cathedralis.

§. 4. Nos igitur ad officium Nostrum pertinere arbitrantes cives domos habent instructissimas, ac ornatissimas, ecclesiæ Dei, in quibus quotidie sacrosancta christianæ religionis misteria celebrantur, et in quibus fideles ad orandum in civitate coeunt, ruinosæ, et squalore deforunes sint, et considerantes absque nullo juvenutis detrimento collegiū Martialis apercitionem per aliquod adhuc tempus suspendi posse, tuncque metropolitanæ ecclesiæ decori consulere volentes motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine fraternitati tuæ per presentes committimus, ac mandamus, ut in primis, quod dictum collegium Martiale clausum adhuc manere debeat auctoritate Nostra apostolica decernas, ac declares: ut insuper omnes, et singulos annuos fructus, redditus, et proventus ad illud quomodolibet spectantes in restaurationem, ac hujus metropolitanæ ecclesiæ reparationem attribuas, ac adducas.

Facultas imponendi censuræ super bonis collegii.

§. 5. Nos enim tibi omnem, ac quancumque necessariam, opportunamque circa ea omnia, quæ ad reparationem, et restorationem hujus-

modi perficiendam, absolvendamque pertinent faciendi, gerendi, dicendi, et exequendi dictos fructus, redditus, et proventus hypothecandi, super eis unum, aut plures annuos census pro necessariis usibus imponendi, ac dictum collegium clausum futurum fore mandandi plenam, et amplam facultatem motu, scientia, et auctoritate, ac tenore præfatis concedimus, et impertimur. Volumus tamen, ac harum serie declaramus, ut postquam restauratio, ac reparatio dictæ ecclesiæ fuerit absoluta, annui fructus, ac proventus prædicti in redemptionem censuum, ac æris alieni dissolutionem ex causa prædicta contracti sint erogandi; itaut cum primum bona ad præfatum collegium Martiale spectantia ab omni ære alieno quomodolibet contracto erunt libera, et exempta; collegium prædictum, constitutis iis legibus, quæ pro illius morali et œconomico statu utiliores tunc videbantur sit denuo juxta priorum fundatorum mentem, ac dispositionem aperiendum.

§. 6. Decernentes has præseutes literas validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri, et obtinere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ejusdem collegii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indulgentiis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima aprilis, millesimo, septingentesimo, octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio contrariorum.

CCCX.

Dat. die  
7 Aprilis  
1784  
Anno VII.

Mandatur episcopo Fulginatensi, ut sup-  
primat monasterium monialium sanctæ  
Claræ in oppido Hispelli existens.

Venerabili fratri Cajetano episcopo  
Fulginatensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,  
et apostolicam benedictionem.

Præmuni.

§. 1. **S**acrosancti apostolatus mini-  
sterium, quod ineffabilis divitiarum sa-  
pientiæ, et scientiæ Dei altitudo humi-  
litate Nostræ nullis licet suffragantibus  
meritis per abundantiam cælestis mise-  
ricordiæ credidit, jugiter Nos admonet,  
ut inter multiplices, gravissimasque apo-  
stolicæ servitutis curas, eam peculiari  
solicitudine amplectamur, per quam si  
interdum inter Christifideles, qui sub  
suavi religionis jago Deo proprius ser-  
vire susceperunt, ex humanæ mortali-  
tatis infirmitate, quæ post primi paren-  
tis lapsum semper ad inferiora Nos de-  
primit, ac ex carnis fragilitate regula-  
ris disciplinæ vigor paulatim sit immi-  
nuit, suo pristino candori restituendæ  
omni studio advigilemus; ubi vero adeo  
mundano pulvere religiosa corda sorde-  
scere dignoscuntur, ut modis omnibus  
noxia evellere, et utilia plantentur, da-  
tum non sit, cum omnis arbor, quæ  
non facit fructum bonam sit exciden-  
da, securim ad radicem arboris posui-  
mus, ne quæ ad utilitatem, ac Chri-  
stifidelium salutem fuerunt adinventas  
ipsis in lapidem offensionis, et petram  
scandali convertantur, prout salubriter  
in Domino expedire conspiciamus.

Collapsam la-  
mentatur pon-  
tifex monaste-  
rii regularem  
disciplinam.

§. 2. Sane peculiarem charitatem,  
qua a primis usque Nostri pontificatus  
exordiis oppidum Nostrum Hispelli tuæ  
Fulginatensis diocesis jugiter prosequuti  
sumus, omnibus modis demonstrare non  
omissimus, Nobis in hisce summopere  
adjuvante dilecto filio Nostro Guillamo  
presbytero cardinali Pallotta nuncupa-  
to moderno cameræ Nostræ apostolicæ  
pro-thesaurario generali, cujus opere,  
ac consilio in eis, quæ maxime Nobis  
cordi sunt, uti jugiter non desistimus;  
non sine itaque gravi animi Nostri mo-  
rore ad audientiam Nostram nuper per-  
venit jamdiu in monasterio sanctæ Cla-  
ræ in dicto oppido Hispelli existente, tum  
ob tenuem monialium numerum, qui  
vix est octo monialium choristarum nun-  
cupatarum comprehensis duabus in or-

bis, vel senio confectis, ac quatuor no-  
vitiis, tum etiam ob collapsam in inte-  
gram regularem disciplinam tot inor-  
dinationes, ac scandala irrepsisse, ut  
nedum omnes conatus, quos pro tua  
singulari vigilantia, qua commissum ti-  
bi gregem prosequi non desinis, ad  
restituendum inter ipsas regularem di-  
sciplinam, veluti opportuniore adhibe-  
re arbitratus es, in irritum cessere, quin-  
nimmo, et congregationis venerabilium  
fratrum Nostrorum S.R.E. cardinalium  
episcoporum, et regularium negotiis, et  
consultationibus præpositorum provisio-  
nes, ac decreta diu exoptatam refor-  
matione inducere nequiquam potuerunt.

§. 3. Quocirca cum experientia edo-  
cti simus propter earundem monialium  
irrequietum ingenium, ac indolem fru-  
stra ad eas ad pristinum suæ regularis  
disciplinæ candorem, et observantiam  
sicero animo revocare, Nos novas vias pe-  
riclitari, ac si veluti amantissimus pa-  
ter familias in patientia, ac longanimitate  
diutius expectaremus morbum ma-  
gis magisque non sine bonorum om-  
nium scandalo, ac offensione ingraves-  
cere, ne supremus Ecclesiæ auctor, ac  
vindex a Nobis neglectæ curationis pœ-  
nas repetat, eo ipso paterni amoris stu-  
dio, quo, ut præfertur, dictum oppi-  
dum Hispelli pro illius prospero, ac  
felici temporali statu jugiter respiciamus,  
omnia etiam noxia, et quæ Christifi-  
delium in via Domini progressum retar-  
dire possent, evellere sedulo curamus.

Et ad graviora  
mala arcedenda  
monasterii  
suppressionem  
decernit.

§. 4. Nos igitur prius ea, qua par-  
erat, maturitate, omnibus rerum cir-  
cumstantiis pensatis, motu proprio, ex  
certa scientia, ac matura deliberatione  
Nostris, deque apostolicæ potestatis ple-  
nitudine, fraternitati tuæ, de cujus fi-  
de, integritate, religionis zelo, in ne-  
gociis gerendis dexteritate plurimum in  
Domino confidimus, per præsentem com-  
mittimus, et mandamus, ut dictum  
monasterium sanctæ Claræ in oppido  
Hispelli existens auctoritate Nostra apo-  
stolica supprimas, ac extinguas, prout  
Nos supprimimus, et extinguimus. Mo-  
niales professas vero inibi nunc existen-  
tes ad alia monasteria, seu conserva-  
toria dicti oppidi Hispelli, vel alterius  
loci tuæ diocesis juxta tibi a Deo da-  
tam prudentiam, et prout necessitas,  
et rerum vices postulabunt, eligenda,  
assignatis cuilibet pro illarum alimentis  
annis scutis trigintasex, pro ipsarum  
vero livello professis, seu choristis  
saltem annis scutis sex, conversis sal-  
tem annis scutis quatuor arbitrio tuo  
juxta rerum adjuncta etiam adaugendis

Onus commit-  
tit episcopo,  
cuique mandat  
ut consulat de  
stitutioni mo-  
nialium ab eo  
ejiciendarum.

auctoritate Nostra apostolica prædicta transferas, ac traducas; ita tamen, ut hæc moniales sic translatae monasterii, seu conservatorii, ad quod erant traductæ, regulis, statutis, et consuetudinibus, ac regulari observantiæ pareant, ac efficaciter adimplere procurent, veluti si usque ab initio regularis disciplinæ professionem in eo emisissent: immo quoties moniales hujusmodi ad alia monasteria cum clausura, vel sine clausura eis benevisa, quæ illas recipere non obnuant, etiamsi ultra tuæ diocesis limites sita transire, vel ad propriam domum, ac familiam secedere movent, monasteria hujusmodi ingrediendi, ac suam familiam, ac domum repetendi, firmis tamen remanentibus regularibus votis, ac cum iis cautelis, quæ Deo sacratis virginibus congruunt, plenam, et amplam facultatem auctoritate Nostra prædicta impertiaris.

Consulitur etiam destinationi novitiarum ab eodem monasterio extrahendarum.

§. 5. Tres porro novitias inter quatuor nunc in dicto monasterio degentes, quæ alias regularem professionem in monasterio Interamnense emisernot, licet in prædicto suppresso, ut præfertur, monasterio sanctæ Claræ regularem professionem emisernot ad suum monasterium auctoritate prædicta remittas, alteri vero novitiæ, cujus mores sunt commendabiles, quamvis professionem prædictam ipsa quoque jam emisernot, paterne pro tuo arbitrio, ac prudentia consulas. Volumus tamen, ad hoc ut citius, quo fieri potest, præsentibus hæc Nostræ literæ debitam obtineant executionem, ut easdem moniales inter alia tria monasteria in dicto oppido Hispelli existentia distribuere, ac inibi nunc, et usque dum eis fuerit alias provisum, collocare libere, ac licite possis, et valeas.

Suppressi monasterii bona episcopo administranda traduntur, datis legibus super distributione fructuum.

§. 6. Præterea motu, scientia, ac auctoritate paribus tibi harum serie injungimus, ut durantibus annis assignamentis prædictis bonorum omnium ad dictum monasterium sic suppressum quomodolibet spectantium administrationem ecclesiasticæ personæ tibi benevisæ concedas, qui ex omnibus illorum fructibus, redditibus, ac proventus reclusorio in dicto oppido ad coercendam mulierum libidinem, ac otiosorum inertiam tollendam per Nos alias erecto annua scuta ducenta, seminario tuo episcopali in eodem oppido Hispelli existentia scuta pariter ducenta, ac scuta tercentum conservatorio puellarum orphanarum, ac pereclitantium inibi erigendo, diligenter persolvat; qui insuper dum annuæ pensiones, seu assigna-

menta dictis monialibus facta paulatim deerunt, ex hisce fructibus suppellectilia, ac instrumenta ad artes in dicto conservatorio exercendas necessaria comparari curet; defectis porro in totum pensionibus; ac assignamenti prædictis, prius detracta ea dictorum bonorum quantitate, quæ annum scutorum ducentorum fructum reddat, hæc bona reclusorio prædicto, factis subinde ex residua bonorum quantitate tribus partibus, duas dicto conservatorio, unam vero seminario respective, ac perpetuo auctoritate prædicta unias, ac incorpores, ac unita, et incorporata esse decernas, et declares.

§. 7. Insuper tibi mandamus, ut dictum monasterium ad instituendum ibidem memoratum puellarum, ac pereclitantium conservatorium auctoritate prædicta pariter assignes, ac constituas, illudque eidem conservatorio incorpores, et adnectes. Cum autem, ex hujusmodi unius ex tribus dictorum bonorum partibus memorato hospitali assignatione illius annui redditus, ac proventus non parum accrescant, hinc statuimus, et ordinamus, ut in primis magistrorum, ac pauperum puerorum præcipue orphanorum numerus, qui in eo gratis alantur augeatur: magistrorum vero, ac puerorum hujusmodi electionem dilectis filiis ejusdem oppidi consilio, seu magistratui auctoritate prædicta reservamus; ita tamen, ut non prius admitti debeant, quam ab episcopo Fulginatense pro tempore existenti approbationem obtinuerint, ut deinde annum congruum constituatur assignamentum ad hoc, ut adolescens ex dicto oppido Hispelli oriundus, vel in eo natus in collegio Umbriæ nuncupato in hac alma Nostra urbe existenti per quatuor annos sustentari valeat: illum porro inter cæteros esse eligendum, qui in examine coram episcopo Fulginatense pro tempore existente, ejusque generali in spiritualibus vicario, ac vicario foraneo a duobus personis per dictum magistratum, seu consilium deputandis dignior censebitur, et cujus mores, ac indolem sperem afferat, sedulam operam studiis navaturum fore, motu, scientia, et auctoritate prædictis volumus, ac mandamus. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam ad præmissa omnia, et circa ea, quæ ad dicti monasterii sanctæ Claræ suppressionem, dictarum monialium translationem, ac bonorum prædictorum separationem, ac respective unionem, et applicationem pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, et

Conventus assignatur pro erigendo puellarum conservatorio, additis aliis necessariis providentiis.



exequendi, ac exequi mandandi, et omnia, quæ pro præsentium literarum executione componere, constituere, ac decernere in Domino salubriter expedire conspexeris, pleuam, et amplam facultatem motu, scientia, et auctoritate, ac tenore prædictis tribuimus, ac impertimur.

§. 8. Decernentes has præsentis literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti monasterii sanctæ Claræ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die septima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Clausula subblata, et decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

CCCXI.

Confirmatio transactionis initæ a moderatoribus seminarij civitatis Comaclensis, et marchione Rondinello super emptione domus sitæ prope ecclesiam cathedralem.

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem  
et apostolicam benedictionem.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii deputati nuncupati seminarii clericorum civitatis Comaclensis, quod venerabilis frater Joannes episcopus Comaclensis, alias ut citius, et minore cum impensa dictum seminario institueret, solemniter actu cessit favore ejusdem seminarii erigendi palatium, quod commodiore in loco situm prope cathedralem ecclesiam ipse episcopus anno MDCCLXXIII. emerat tamquam marchio Rondinellus ex patrimoniali pecunia, ac quoniam in dicta cessione nonnulla imposita fuerunt onera, idcirco in ipsa reservatum fuit Sedi apostolicæ beneplacitum; super his vero tu infrascriptæ cardinalium congregationi retulisti contractus hujusmodi firmitatem satis constare, quod memoratus episcopus emit ædes hujusmodi ab universali honorum fideicommissi quondam Joannis Ciri emptore, quorum alienatio propter dotium constitutiones ab ascendentali fideicommissio detrahendas prius per sententiam locum tenentis civitatis Ferrariensis, tum per chirographum felicitis recordationis Clementis pp. XIII. prædecessoris Nostri fuit confirmata. Præterea emergere evidentem ejusdem contractus utilitatem favore enunciati seminarii, ex eo quod a peritorum relatione palatium hujusmodi multis impensis a prædicto episcopo reparatum, dimidio fere auctum, jam nunc scutis duobus millibus noningentis quinquaginta octo monetæ Romanæ æstimatur; unde multo minoris videntur habenda onera in dicta cessione imposita, eo quia onus assumendum annuorum triginta scutorum parium pro implemento legati missarum fidei commissi Ciri ex dicto chirographo in eodem palatio firmiter, et perpetuo constituti vix pertingit summam unius senti similis in singula centum; ac insuper dum splendidiore, et commodiore loco ejus seminarii fabrica sita erit, majores sumptus in antiqua reparanda, et amplianda fabrica necessario impendendi effugiantur, imo ex istius locatio-

Dat. die  
7. aprilis  
1781  
Anno VII.

Expositio præcæm.

ne totidem, et ultra scuta similis monete percipiuntur quod legati onus absorbet demum nihil in contrarium negotiis facessere videri, aut onus impositum solvendi duo scuta annua, et quinquaginta obulos dictae monetae presbytero cujdam Parmiano ferme sexagenario, donec vixerit, vel etiam episcopo expetita biscentum scutorum parium remuneratio titulo, ut ajunt, = *di buona uscita* =, ejusdem rei familiaris angustiae admodum opportuna, ex eo quod praeter ingentes sumptus in ampliandum, ornandumque palatium ab ipso collatos, certum est, quod ad reparandam, aptandamque fabricam antiquam, et valde incommodam duplo major summa in hoc sacro Pietatis monte ad hanc causam deposita esset impendenda, cum ad palatium ab episcopo oblatum seminarii sui accommodandum tercentum scuta dictae monetae sufficiunt. Nobis propterea dicti exponentes approbationem memoratae cessionis per Nos fieri summopere desiderantes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existuat, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censeantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilio Tridentino interpretum, qui relationem tuam praedictam super praemissis ad eosdem cardinales transmissam attenderunt, consilio discretioni tuae committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et postquam ita judicaveris expedire supradictum contractum cum patris, et conditionibus expressis, et in similibus apponi solitis auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia gratis approbes, atque confirmes.

Derogatio contrarium.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die septima aprilis millesimo septingentesimo octogesimo primo, pontificatus Nostrum anno septimo.

CCCXII.

Dat. die  
7. aprilis  
1781  
Anno VII.

Commissio episcopo Balneoregiensi super suppressione, et taxatione quarundam confraternitatum, et applicatione honorum favore seminarii clericorum civitatis Balneoregiensis.

Venerabili fratri episcopo Balneoregiensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater  
salutem  
et apostolicam benedictionem

§. 1. Clericorum seminaria ad informandos bonis moribus, et ecclesiastica disciplina adolescentes in sortem Domini vocatos instituta, a sacro concilio Tridentino tantopere commendata, et postmodum in omnibus fere catholici orbis diocesis recepta, et propagata non ultimam pastoralis officii Nostrum exigunt sollicitudinem, ut apostolica auctoritate omnia firmemus, quae ad illa solidius stabilienda conferunt, et amplificanda; unde seduli in agrum Domini operarii facile deducantur, et fructus subiinde proveniant uberiores.

Praemium

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii moderni deputati nuncupati seminarii istius civitatis Balneoregiensis Nobis nuper exponi fecerunt, in ipsa Balneoregiensi diocesi satis ampla, magnus optime indolis juvenum numerus existat, qui ecclesiasticae viae cursum ingressi, illum prosequi nequeunt, eo quia in dicto seminario recipi, ibique in disciplinam tradi non possunt, ob exiguos ejusdem pii loci redditus, qui annuam summam biscentum scutorum monetae Romanae non excedunt; tu vero sedulam dederis operam, ut hujusmodi redditus copiosiores efficeret, obtento praesertim a felicitis recordationis Clemente pp. XIV. praedecessore Nostrum apostolico indulto applicandi ad ejusdem loci utilitatem, et incrementum universa, quae ejus civitatis, et diocesis confraternitatibus debebantur nomina, ex quibus tamen ob debitorum, et praecipue earundem confraternitatum administratorum inopiam trunci annorum spatium vix biscentum scuta parvi monetae coacta sunt. Ipsi exponentes parvum, ex hujusmodi applicatione dicto seminario considerantes accepisse levamen, nullam aliam arbitrati sunt huic malo occurrendi rationem existere, nisi illa eadem, quam praedictus Clemens pra-

Exponitur status seminarii, et impetratur ampliatio reddituum illius.

decessor pro seminario Assisiensi inivit, suppressendo scilicet plures ejusdem diœcesis confraternitates, earumque redditus ipsi seminario applicando. Quare iidem exponentes in magnum istius Balneoregiensis seminarii commodum, et utilitatem fore arbitrati, si nonnullarum confraternitatum istius diœcesis suppressio per Nos fieret, earumque redditus ipsi seminario applicarentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Consultatur necessitati, super præmissis confraternitatibus, et applicatis bonis ad seminarium.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinatj, auditis tuis informatione, et voto fraternitati tuæ omnes facultates necessarias, et opportunas ad effectum supprimendi, atque abolendi confraternitatem tantum sancti Rochi erectam in terra Polymarsii; cæteras vero duas confraternitates, illam nimirum s. Joannis Baptistæ, seu ut ajuat = *della Misericordia* = in eadem terra Polymarsii fundatam, et alteram B. M. V. Lauretanæ, seu sanctissimi Corpori Christi erectam in civitate Balneoregii ad effectum taxandi in scutis viginti pro unaquaque confraternitate persolvendis in singulos annos ex redditibus superextantibus earumdem confraternitatum, omnesque redditus, et proventus præmemoratæ confraternitatis supprimendæ, una cum suis sortibus, et capitalibus, atque aliarum confraternitatum taxas addicendi, et applicandi seminario ipsius civitatis Balneoregiensis, una tamen cum iisdem missarum, et legatorum, aliisque oneribus indeclinabilibus, quibus prædicta confraternitas suppressenda, et abolenda reperitur obnoxia, et obligata, auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Clausula subla-  
ta, et decre-  
tum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictoque seminario in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri de-

*Bull. Rom. Tom. VI.*

bere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-  
trariorum.

§. 5. Non obstantibus quorumcumque testatorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque confraternitatum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die septima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXIII.

Dati die  
10. aprilis  
1781  
Anno VII.

Nonnullæ facultates domino cardinali Bandi episcopo Imolensi pro erectione novi hospitalis in eadem civitate faciendæ.

Dilecto filio Nostro Joanni Karolo tituli sanctæ Mariæ de Populo presbytero cardinali Bandio nuncupato episcopo Imolensi.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem,  
et apostolicam benedictionem.

§. 1. **P**ræclaræ virtutes, quibus magnopere præstas in custodia gregis tibi commissi, eum te revera episcopum esse ostendunt, quem apostolus omnino esse monet oportere. Tota quate patet diœcesi Imolensi passim oc-

Proemium, et  
laudes cardi-  
nalis Bandi  
episcopi Imo-  
lensis.

currunt argumenta pietatis, et religionis tuæ, ac splendida ubique locorum monumenta supersunt pastoralis sollicitudinis, qua de ecclesia ista, populoque tibi credito bene, optimeque meritus es. Quoniam te auspice, teque ipso auctore templum ecclesiæ cathedralis a fundamentis erectum est, et in ampliorem, elegantioreque formam restitutum. Cura etiam, studioque tuo ecclesiam parochialem Campiani, quæ a castro Bononiensi non longe distat, atque alteram sancti Patritii juxta caput Consilicis ædificatam esse intelleximus: jam quoque a fundamentis extruere aggressus es parochialem ecclesiam sanctæ Mariæ in Regula, quæ est intra mœnia civitatis, atque ad monasterium pertinet, quod tibi commendavimus, congregationis Olivetanæ. Vetus episcopium, quod ære, pecuniave tua amplificatum, ac novo, rectoque ordine dispositum est, magna commoditatis, dignitatisque accessione donatum videtur. Plura etiam ædificia, que sumptibus propriis in arce, feudoque Bagnariæ, ac in latifundiis mensæ episcopalis facienda curasti, meliorem sacerdotalis istius patrimonij conditionem reddiderunt. Neque charitas, et misericordia animi tui fugit ægrotos, et infirmos: nam petentibus omnium ordinum civibus, ut nosocomium Imoleense, quod nimis angustum, incommodum, ipsique infirmorum saluti perniciosum est, alibi mutato solo collocaretur, non modo æquas dedisti aures, sed validam quoque opem tuam præstare constituisti. Laudamus profecto consilium, quod providum est, plenumque humanitatis: gratulamur quoque tibi, qui paterno ductus amore in opus omnium piissimum, et publicæ utilitati necessarium vehementer incumbis: quapropter omni studio, et labore cures necesse est, ne consilio desit eventus.

Motus proprius super nova concessione pro extruendo nosocomio.

§. 2. Nos igitur motu proprio, omnimodam, plenamque tibi elargimur potestatem, ut novam opus, ædificiumque valetudinarii, in quo infirmi utriusque sexus excipi, ac diligenter curari debeant, magno animo aggrediaris, idque Deo fovente perficias in loco amplo, et aprico, uti majores instrui commoditates possint, quæ in veteri desunt nosocomio, atque in eo ob nimiam ipsius angustiam nequeant comparari. Volumus autem, ut tu ipse pro arbitrio, placitoque tuo, locum, solumque eligas, ubi valetudinarium construendum sit, ac formam ejus, mo-

dumque præscribas; si ratio novi hujus ædificii, et adnexorum ejus postulet, ut solum sive publicum, sive privatum, sive ecclesiasticum, sive profanum occupari debeat, jus, et plena tibi potestas esto illud occupandi, sed pro ea tantum parte, quantum operis necessitas exigat, soluto tamen dominis pretio, quod erit iudicio peritorum constituendum.

§. 3. Domini vero, ac possessores, quocumque etiam amplissimo privilegio donati sint, nullam habeant contradicendi facultatem, sed pro ea parte, qua opus erit, libenter ferant proprium solum, propriasque ædes nullo eorum detrimento, et jactura in publicam causam, utilitatemque pauperum converti. Idcirco ex plenitudine apostolicæ potestatis Nostræ, ac pari motu proprio derogamus, et solvimus, ac pro derogatis, et solutis haberi volumus, et mandamus quæcumque fideicommissa, hypothecæ, onera, et vincula cujusvis generis etiam privilegiatissima, quibus solum, et ædificia prædicta forsau obligata, et affecta essent. Operam itaque dabis quam diligenter, ut pretium, quod volumus loco rerum occupatarum succedere, probe investiatur, et si qua aderunt fideicommissa, hypothecæ, onera, et vincula in subrogatos fundos transferantur. Ut vero consilia, et vota tua, quæ Nobis vehementer probata sunt, facile ad exitum perducere valeas, opem gravissimis sumptibus ferre non recusamus.

Præcipitur ut quis cedere te neatur solum necessarium ad novas extruendas ædes.

§. 4. Residua igitur veteris nosocomii, quæ implicata jam esse investimentis, et caput novem fere scutorum millium constituere accepimus, novo operi addicimus, et in ejus causam erogari volumus, atque jubemus. Neque id satis eidem operi perficiendo esse arbitramur. Idcirco amplam tibi facultatem concedimus, ut fœnebrem pecuniam ea de re libere, ac licite contrahas, et accipias, totque in prædiis, fundisque veteris nosocomii, quod vocant, sanctæ Mariæ de Scaletta, passivos census imponas, quot necessaria totius perficiendi, absolvendique valetudinarii ratio exigere videatur. Præcipimus tamen, ut annui passivorum censuum fructus quam diligenter persolvantur, et nonnihil etiam quotannis adhibeatur in sortis, capitisque diminutionem.

Applicatio bonorum veteris nosocomii.

§. 5. Potes quoque delegata auctoritate Nostra fundos ejusdem loci pii sanctæ Mariæ de Scaletta permutare cum aliis, quos ad novum ædificium,

Facultas permutandi bona.

ejusque aream, ambitumque construendum opportunos esse cognosces, atque ipsum potes vetus nosocomium distraere, ecclesiamque ejus, servata sacrorum canonum forma profanare, quia tenearis ullam in his omnibus veniam, et placitum impetrare.

Potestas taxandi loca pia ad annuam contributionem.

§. 6. Insuper omnimodam tibi potestatem facimus, ut sodalitia, et loca pia civitatis, ac diœcesis Imolensis ad annuam contributionem cogas, quæ in expensas, sumptusque ædificationis, vel in fructus censuum, ærisque alieni restitutionem cedere debeat. Nulla sodalitia, et loca pia (exceptis regularibus) immunita esse volumus ab eo tributo, licet posita sint in oppidis ubi propria existunt valetudinaria modo tamen hæc ipsa extraordinario subsidio non egeant. Si qua vero loca pia, et sodalitia, illudque præsertim, quod nomine sanctissimæ Crucis in civitate Imolensi, et in parochia sancti Ægidii est, supprimenda, atque aliis unienda tibi videbuntur, id sane facias, permittimus pro arbitrio, et prudentia tua.

Mandatum de proponendis idoneis viris in curatores nosocomii.

§. 7. Curatores denique novo operi præficies, quos magis putabis idoneos, quin eos debeas a cœtu, et collegio eorum adscire, qui veteri præpositi sunt nosocomio. Tenes itaque de valetudinario construendo voluntatem Nostram, qua utere, ut soles, beneficio pauperum. Ne ulla autem tuo hæreat animo difficultas, quascumque facultates necessarias, et opportunas cum in prædictis, tum in rebus omnibus, quæ forsitan deinceps in executione operis occurrere poterunt, ex plenitudine apostolicæ potestatis Nostræ tibi, dilecte fili, tribuimus, atque concedimus.

Declarationes speciales.

§. 8. Non obstantibus Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, et quibuscumque summorum pontificum prædecessorum Nostrorum, et aliis in contrarium præmissorum quomodolibet editis, vel edendis, etiam in synodalibus, provincialibus, et universalibus conciliis, atque etiam illa Pauli papæ secundi prædecessoris Nostri de rebus ecclesiæ non alienandis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quibusvis legibus, juribus, privilegiis, iadultis, statutis, usibus, consuetudinibus etiam apostolica confirmatione roboratis, ac specifica, expressa, atque individua mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irri-

tantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum concessis, et approbatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, et causas etiam quantumvis prægnantes, pias, et privilegiatas presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum nihil penitus omissis insertis, expressis, et specificatis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum omnium validissimum effectum hæc vice dumtaxat specialiter, et expresse motu, scientia, et potestatis Nostræ plenitudine harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXIV.

Præceptum fratribus ordinis minorum s. Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum provincie in Brasilia, ut de cætero in functionibus cantum Gregorianum servent

Dat. die  
10. aprilis  
1781  
Anno VII.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectus filius minister provincialis fratrum minorum ordinis sancti Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum, quod cum in constitutionibus eiusdem ordinis auctoritate apostolica confirmatis expresse a sancto Francisco illius fundatore injunctum fuisset, ut clerici faciant divinum officium secundum ordinem S.R.E., hinc fratres dicti ordinis cantu, quem Gregorianum vocant, præscripto quoque in statutis generalibus ordinis hujusmodi, utebantur, quia vero provincie ejusdem ordinis minorum, seu reformatorum nuncupatorum id peragere abnebant; hinc in mandante felicis rec. Benedicto pp. XIII prædecessore Nostro, tuac existens mini-

Benedictus XIII. mandavit ab omnibus fratribus ordinis uti cantu Gregoriano.

ster generalis prædicti ordinis per suas encyclicas literas injunxit, ut omnes fratres dicti ordinis minorum, sive de observantia, vel reformatorum, vel discalceatorum, recollectorum, ac tertii ordinis respective nuncupatorum in officio, et missa conventuali saltem diebus festis præsertim solemnibus prædicto cantu Gregoriano uterentur.

Id ipsum confirmavit capitulum generalis Mediolanensis anni 1779.

§. 2. Ac deinde in capitulo generali Minorati ordinis anno MDCCXXIX habito in civitate Mediolanensi, confirmatis, seu repetitis statutis generalibus prædictis omnem cantum, præter Gregorianum, prohibentibus, addita quoque fuit pœna privationis vocis activæ, et passivæ iis superioribus localibus, qui ita præscripta executioni minime demandassent. Quibus tamen omnibus non obstantibus abusus in memorata provincia sensim irreptus adeo invaluit, ut nunc cantus, qui a dictæ provinciæ alumni in choro, aliisque ecclesiasticis functionibus servatur, molestus prorsus, ac horridus sit.

Preces portæ pro obtinenda observantia prædictorum mandatorum.

§. 3: Cum autem sicut eadem expositio subjungebat tum dictus minister provincialis, tum etiam memoratæ provinciæ alumni, ut rejecto penitus diverso modo, et vocum strepitu horridissimo, quo in missa, et officio utebantur, cantus Gregorianus prædictus in omnibus ejusdem provinciæ ecclesiis juxta præmissa mandata, et statuta a fratribus de cætero adhibeatur summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor novi præcepti.

§. 4. Nos igitur eundem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacunque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, et singulis fratribus dictæ provinciæ nunc, et pro tempore existentibus, ut ipsi de cætero cantum Gregorianum dumtaxat tum in choro, tum in aliis ecclesiasticis functionibus omnino adhibere, et servari, etiam sub privationis vocis activæ, et passivæ, aliisque arbitrio Nostro imponendis pœnis, juxta memorati Benedicti prædecessoris literarum formam, omnino teneantur auctoritate apostolica tenore præsentium præcipimus, et mandamus.

§. 5. Decernentes ipsas præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula subla-  
ta, et decre-  
tu irritans.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit ordinis, et provinciæ hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio con-  
trariorum





CCCXV.

Dat. die  
9. maii  
1781.

Anno VII.

Omnes habitantes Pomptinos Agros a vectigale salis eximuntur, ipsisque conceditur, ut sal Drepanense quærere, emere, ac in promptuariis portus Terracinæ, aliisque retinere.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Præmium

§. 1. **E**t si ab injuncta humilitati Nostræ totius Dominici gregis procuratione sane novimus Deo, commissisque Nobis ovibus curam omnem, laboresque deberi; haud tamen negligere possumus sollicitudinem illam, qua servandis, augendisque temporalibus subditorum Nostrorum commodis præsidio esse valeamus.

Exponitur status Pomptinæ paludis, et quæ fuerint curæ, et expensæ ad illam exiccandam, adhibitis.

§. 2. Quapropter ampla olim Volscorum regio, quæ perpetua, atque insalubri Pomptina palude a pluribus retro sæculis obruebatur, cum magnam animo Nostro curam iniecisset, ægre primum, ac dolenter ferebamus, locum uberrima agrorum fertilitate celebrem, stagnantibus undique aquis, omnino demersum esse, ac deperditum; tum salubre consilium agitavimus paludis avertendæ, ac re diligenter cogita, operi manus admoveri mandavimus. Nullis sumptibus, nullisque difficultatibus parcentes, jam opus beneficio Dei optimi maximi eo adductum esse gaudemus, ut ferme ad exitum pervenisse videatur. Immensa aquarum volumina effossis alveis corrivantur, et prono cursu influunt in mare Pomptini campi, quos diuterrima illa palus oppresserat, jam hilares rident, invitantque colonum, ac viam plane novam a Tripontio Terracinam usque Nos ipsi partim sicco pede calcavimus, partim curru advechi confecimus, et viatorum affluentia frequentatam, hisce diebus summa animi jucunditate conspeximus.

Concessionis ratio ac tenor.

§. 3. Ne quid vero a prævidentia Nostra dcesse contingat, quo facilius homines cum ad ea, quæ perficienda supersunt, tum ad colendos, screndosque agros, et greges, armenta que pascenda in exsiccatos Pomptinæ regionis fines se conferant, ibique stationem constituent, cuactive in eadem regione degentes loco quovis iter faciant; eos omnes a salinarum Nostrarum vectigali solvimus, et liberamus. A ut quam igitur ab hac usque nunc afflictæ civitate

recedamus; motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione, atque ex plenitudine potestatis Nostræ volumus, et mandamus, ut vectigal salis nullum sit in agris Pomptinis, idemque omnino ademptum, prorsusque sublatum declaramus. Pari etiam motu proprio, atque auctoritate concedimus, et indulgemus, ut omnes sive coloni, sive advenæ, aut alii quavis de causa in regione prædicta commorantes, nec non cauponarii, viatores, et alii quicumque intra ejusdem regionis ambitum versantur, sal Drepanense quærere, emere, ac in promptuariis portus Terracinensis, aliisque intra supradictum ambitu erectis, et erigendis, retinere valeant, eoque sale invento, et importato uti, frui libere, et licite possint, usquequo intra supra expressos limites morati fuerint.

§. 4. Mandamus idcirco procuratoribus cameræ Nostræ, et generalibus publicarum salinarum redemptoribus, publicanis conductoribus etiam civitatum, oppidorum, pagorum, aliisque omnibus, ne alicui pro usu ejusdem salis in locis præmissis ullam inferre molestiam, aut aliquod ex eo tributum, et vectigal exigere audeant, et præsumant, non obstantibus privilegiis, ac juribus fisci, et cameræ Nostræ, et supradictorum locorum quibuscumque contractibus, et instrumentis, apostolica etiam auctoritate confirmatis, ac omnibus constitutionibus, chirographis, aliisque in contrarium quomodolibet editis, ac a Nostra etiam, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque quibuscumque apostolicis constitutionibus, et ordinationibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hæc vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Terracinæ apud sanctum Cæsareum die nona maii, millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Mandatum directum procuratoribus, et redemptoribus R. C. A. de non inferendis molestiis habitantibus in ea regione, omnibus in contrarium facientibus derogatis.

CCCXVI.

Dat die  
17. maii  
1781  
Anno VII.

Ecclesia sanctæ Mariæ Virginis sub titulo de monte Carmelo extra portam Portuensem nuper extractâ erigitur in parœciam suburbanam.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

§. 1. **D**ivina virtutum procreatrix charitas, qua plene redundans verbum æternum Patris caro factum animam suam posuit pro ovibus suis, urget Nos, assidueque adhortatur, ut mundi Servatoris exemplo, præceptisque excitati, atque in difficili omnium ecclesiarum sollicitudine positi negligamus omnino nihil, quod rei christianæ publicæ bono, atque animarum, quas acquisivit Christus sanguine suo, saluti conducere facilius possit. Quum vero non aliud religionis, pietatisque incremento magis conveniat, quam si frequenti sacramentorum administratione, atque assidua voce evangelizantium bona Christus populorum animis inseratur, hinc est, quod primas pastoralis Nostri muneris partes duximus in id diligenter incumbere, ne unquam fideles sacrorum ministrorum auxilio priventur, quorum solummodo ope, ac doctrina fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Id ipsum probe callentes decessores Nostri Romani pontifices nulli penitus pepercerunt curæ, ut plebs Christo devota, ubique tandem esset, et ostendere se sacerdotibus, et eorum ministerio uti facillime posset, ne unquam illud dampni eveniret, quod parvulis petentibus panem: nullus adesset, a quo frangeretur: eamque ob rem non Romæ solum, sed in suburbanis etiam parœciis, easque plures instituendas curarunt. Siquidem periculi plenum est rudes homines in agris longe dissitis commorantes non parochorum modo præsentis auxilio carere, sed quandoque etiam noctu urbem petere, januarum custodes a somno excitare, adire ad parochos, eosque secum ducere in agrestes ægrotantium domus, qui morbi gravitate confecti tam longo temporis intervallo si nondum vita, sensibus tamen adeo expertes non raro inveniuntur, ut sacramentis ad salutem necessariis muniri nullo pacto possint.

§. 2. Quum igitur Nobis constiterit plerosque agri Romani extra portam Portuensem, et sancti Pancratii incolas

in eo esse discrimine positos, ut eorum alii insignis ecclesiæ sanctæ Mariæ Transtyberim, alii vero sanctæ Cæcilie parœciis addicti ob locorum distantias christianæ doctrinæ, et sacramentorum pabulo priventur, tam gravi Nostrorum filiorum necessitati consulere, quantum Nobis liberum in Domino est, necessarium ducimus, eo vel magis quia quum eorundem agrorum pars aliqua extra Romani vicariatus ditionem posita in Portuensi diœcesi comprehendatur, fieri non potest, quin a Romanis parochis ipsomet sui muneris exercitio Portuensis episcopi lædatur auctoritas. Quamobrem sagaciter hæc expedientes, atque potissimum habentes ob oculos tot, tantaque animarum pericula, nec non cupientes insimul inter unam, et alteram jurisdictionem eorum certa figi confinia, quæ lites, et quæstiones jamdiu ob horum incertitudinem vigentes dirimere definitive valerent, venerabilis frater Noster Karolus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Rezzonicus episcopus Portuensis, atque dilectus filius Noster Marcus Antonius pariter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis Columna Noster in urbe, ejusque districtu vicarius pro ea, qua maxime præstant pietate, suorumque munerum officio Nobis quod unum esset certum, ac facile hisce malis remedium significarunt: istud autem erat hujusmodi: post tertium ab urbe milliarium eo plane loci, qui ferme est agrorum, de quibus loquimur, centrum, Deiparæ virginis sub titulo montis Carmeli, et sancto Joseph virginis sponso satis elegans templum existit, quod spectata religio dilecti filii Josephi Alafii hodierni parochi sanctæ Mariæ Transtyberim non modo sumptibus extruxit suis, sacrisque suppellectilibus ad sacra ministeria necessariis ornavit; sed etiam congruis redditibus dotare se velle promissit, si nova inibi construat parœcia eorundem agrorum incolis per quam opportuna. Consilium pietatis plenissimum adeo probavit cardinalis episcopus Portuensis, ut lubens spondit, sese novæ huic stabiliendæ parœciæ, non modo illam concessurum suæ ditionis partem, quæ sanctæ Mariæ Transtyberim, atque sanctæ Cæcilie parochis pro sacramentis in ea degentibus ministrandis commendata reperitur, sed aliam itidem ad eundem finem opportunam, dummodo tamen urbis vicarius, cujus ditioni nova hæc suburbana parœcia erit addenda, Portuensi episcopatu adjungi assentiatur veterem parœ-

Exponitur ratio suadeus erectionem novæ parœciæ.

ciam sanctorum Laurentii, et Urbani ad primam Portam, quæ quidem ejusdem vicarii auctoritatis, quum sit, finitima est, planeque contigua Castro Novo Portuensis diœcesis oppido. Quam quidem hominum in agris degentium christianæ institutionis, animarumque salutis curandæ, litiumque enunciatarum dirimeandarum rationem, quin improbaverit Nostræ urbis vicarius, commendavit plurimum, atque inde occasionem est nactus gratias agendi Deo, qui disponit omnia suaviter. Verumtamen, quum ad id assequendum necesse sit a parœciis sanctæ Mariæ Transtyberim, et sanctæ Cæcilie partem territorij aliquam distrahere, qua cum nova hæc parœcia congrue valeat constitui, nonnullæ Nobis allatæ sunt oppositiones a duabus iis ecclesiis institutæ jurium suorum integre servandorum causam intersetentibus; quas tamen minoris ponderis esse duximus, quam quod ejusmodi propositum valeant eludere, quo et præsentium malorum cautio habeatur, et opportuna remedia pro spirituali tot indigentium hominum bono adhibeantur, nec non litibus suprascriptis inter utramque jurisdictionem vigentibus finis perpetuus aliquando imponatur,

§. 4. Nec sane pluris esse faciendas censuimus agriculturalum quorundam iis in locis degentium quærimonias, quibus suasum vellent, aut non admodum utilem fore hæc novam parœciam, aut fortasse etiam non commodam omnibus, qui convenire illuc longo, nec satis tanto itinere debeant. Illud enim e contrario constat, novæ parœciæ in medio eorumdem prædiorum locandæ institutione; et provisum cujusque ad ecclesiam facilius accedendi commoditati, et tristium illorum eventuum sublatum esse periculum, quos hactenus ob id novimus contigisse, quia nimis longe distarent, si qui alio quam ad duas sanctæ Mariæ Transtyberim, et sanctæ Cæcilie parœcias, quo confugerent non haberent. Itaque a Nobis propositam novæ parœciæ institutionem maximo animarum emolumento futuram, concordiamque inter Portuensem cardinalem episcopum, et cardinalem vicarium Nostrum firmissimam allaturam expendentibus exigit munus pastoralis officij, ut exequutioni illam quamprimum mandari curemus.

§. 5. Atque ideo motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine ecclesiam Deiparæ

*Bull. Rom. Tom. VI.*

Virginis sub titulo Montis Carmeli in vinea positam ad parochiam sanctæ Mariæ Transtyberim pertinente in suburbanam parœciam erigi jubemus cum jure sepeliendi, et funerandi, fontem baptismalem erigendi, et retinendi, cæterisque cum juribus universis, quæ aliæ ab altera non dependentes parœciæ gaudent, ac potiuntur, eamque adjunctam volumus omnimodæ jurisdictioni cardinalis Nostri vicarii, cui etiam erectionis hujus peragendæ causa, ac territorij, finiumque præstituendorum pro conventa cessione, enunciatisque litibus componendis a cardinali episcopo Portuensi faciendæ necessarias facultates in Domino impertimur.

§. 6. Atque a duabus parœciis sanctæ Mariæ Transtyberim, et sanctæ Cæcilie quidquid novæ huic parœciæ Deiparæ Virginis de Monte Carmelo assignabitur territorij disjungimus omnino, et de facto nunc pro tunc apostolica auctoritate Nostra separamus. Et cum ab eodem cardinali Nostro vicario parœcia sanctorum Laurentii, et Urbani ad primam Portam cum omnibus juribus, finibus, redditibus, emolumentis, et pertinentiis suis universis cardinali episcopo Portuensi compensationis loco cedenda, et concedenda sit, eidem vicario Nostro id præstandi facimus potestatem. Has similes etiam facultates tribuimus cardinali episcopo Portuensi, quibus possit adjungere diœcesi Portaensi suæ dictam parœciam sanctorum Laurentii, et Urbani, itemque cedere legitime valeat novæ suburbanæ parœciæ Deiparæ Virginis de monte Carmelo illam territorij suæ diœcesis partem, quæ eidem in Domino videbitur expedire.

§. 7. Decernentes has præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de jure quæsito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, et synodali- bus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinatio-

Assignatio territorij.

Clausula sublatæ, et decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

Rejiciuntur quærimoniæ nonnullorum agriculturalum, et iannes deteguntur.

Tenor erectionis novæ eccliesiæ parochialis.

nibus, nec non dictarum ecclesiarum sanctæ Mariæ Transtiberim, ac sanctæ Cæcilie, nec non sanctorum Laurentii, et Urbani etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima maii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXVII.

Dat. die  
16 maii  
1781  
Anno VII.

Facultas capitulo ecclesiæ Toletanæ reeligendi pluries etiam ad vitam rectorem hospitalis sanctæ Crucis dictæ civitatis, qui juxta præscriptum ad annum tantum eligi deberet.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. **H**umano vix judicio ita bene quidquam, et providenter sanciri potest, quin usus sæpe aperiat, doceatque id, quod salubre fore credebatur, minus experiendo prodesse.

Expositio præcum.

§. 2. Sane pro parte dilectorum filiorum decani, et capituli ecclesiæ Toletanæ Nobis expositum nuper fuit, quod cum alias bo. me. Petrus, dum vixit, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis de Mendoza nuncupatus archiepiscopus Toletanus in suo ultimo testamento ex suis bonis Brephotrophium sub titulo sanctæ Crucis pro infantium expositorum receptione, ac educatione fundari constituerit, in transactione su-

binde super hujusce testamentariæ dispositionis executione inter dictum capitulum Toletanum, et executores testamentarios celebrata, ejusdem Brephotrophii administratio, ac regimen capitulo prædicto fuit reservata, ea tamen lege, ut canonicus dictæ ecclesiæ, qui electus fuisset in rectorem Brephotrophii sanctæ Crucis civitatis Toletanæ a dicto Petro cardinale fundati non plus quam per unum annum prædictum officium rectoris posset exercere, quo absoluto, alter a capitulo præscripta forma eligeretur.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subungebat, licet alias memoratum capitulum multis rationabilibus de causis felicitis recordationis Urbano pp. VIII. prædecessori Nostro cognitis, ab eodem Urbano illum rectorem, qui pie, ac laudabiliter officium prædictum exercuisset, ad alios duos annos eligendi facultatem obtinuerint, prout in literis hisce desuper in simili forma Brevis die v. decembris anno MDCXXXIII. expeditis continetur, nihilominus cum ex aucto eorundem infantium numero, recta illorum ad christianam pietatem efformatio, et reipublicæ bonum, ac utilitatem institutio postulet, ad hoc ut rector intimam suæ indolis, ac naturæ cognitionem acquirat, per longum tempus officio hujusmodi fungatur, immo ipsa repugantia propriam deserendi domum ad triennium dumtaxat, quæ plerumque in electo rectore apparet, suadeat eidem Brephotrophio salubrius futurum fore, si memoratum capitulum quolibet anno eundem canonicum in rectorem dicti Brephotrophii sanctæ Crucis reeligere poterit. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; quod non obstante indicata concordia, ac memorialis Urbani prædecessoris literis, si canonicus, qui per unum annum prædictum officium rectoris Brephotrophii sanctæ Crucis Toletan obtinuit, ita pie, ac laudabiliter illud exercuerit, quod

Providentia  
ad rem decre-  
tae ab Urbano  
VIII.

Tæ  
concl.

majori parti totius capituli videatur conveniens esse pro majori ejusdem hospitalis sanctæ Crucis utilitate, ac bono, eundem canonicum in prædicta rectoria, seu officio continuare perpetuis futuris temporibus capitulum, seu major pars illius, ipsum quolibet anno reeligere libere, ac licite possit, et valeat apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, et impertimur.

Clausula subla-  
ta, et de-  
cretum irri-  
tans.

§. 5. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-  
trariorum.

§. 6. Non obstantibus memoratis Urbani prædecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ ecclesiæ Tolentanæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta maii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXVIII.

Dat. die  
28 maii  
1781.  
Anno VII.

Instantibus monialibus sanctæ Ursulæ ordinis sancti Joannis Hierosolymitani civitatis Melitensis, committitur magno magistro hospitalis s. Joannis Hierosolymitani prædicti, ut confirmet instrumentum liberationis a canone favore baronis Laurentii Galea.

Dilectis filiis magno magistro, et consilio hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani.

Pius PP. VI.

Dilecti filii salutem,  
et apostolicam benedictionem.

§. 1. Nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissæ, et monialium monasterii sanctæ Ursulæ oppidi civitatis nuncupatæ Vall, Melitensis diocesis istius hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani Nobis expositum fuit, quod alias, nempe sub anno MDCXLV. per abbatissam, et moniales dicti monasterii tunc existentes quidam locus domorum in oppido, seu civitate nuncupato Victoriousa situs Laurentio Burlò in perpetuam emphyteusim cum annuo canone scutorum septem monetæ Melitensis fuerat concessus, quamque tandem in dilectum itidem filium baronem Laurentium Galea pervenit, illumque de præsentem pacifice possidet.

Exponitur status veteris emphyteusis concessæ Laurentio Burlò,

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratus baro Galea locum hujusmodi ab annui canonis prædicti onere eximere, ac liberare plurimum desiderans, quoddam capitale scutorum tercentorum, et trigintaquatuor, et tari quatuor super annona frumentaria constitutum annui redditus scutorum decem dictæ monetæ ad hoc dictis abbatissæ, et monialibus assignare, in easque transferre offerat, hujusmodi vero assignatio, seu translatio in evidentem cedat dicti monasterii utilitatem, si Nostra ad id, et hujus sanctæ Sedis licentia suffragetur, et facultas contractum hujusmodi stipulare desiderent. Nobis propterea dictæ exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Oblatio summa pro concessæ canonis redemptione.

§. 3. Nos igitur easdem abbatissam, et moniales specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis,

Concessionis tenor, et leges servandæ pro validitate redemptionis canonis.

et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati, vobis per præsentem committimus, et mandamus, quatenus si, et postquam vocatis, qui fuerint evocandi, et præmissis omnibus, et singulis illorum circumstantiis universis prius coram vobis specificatis de cessione, et exemptione, et respective assignatione, seu translatione hujusmodi, quodque illæ, si fiact, in evidentem dicti monasterii cessuræ sint utilitatem, vobis conjunctim procedere legitime constiterit, super quo conscientiam vestram oneramus, eisdem abbatissæ, et monialibus eandem cessionem, seu ab annui canonis prædicti onere exemptionem memorato baroni Galea, ut supra faciendi, ac in illius locum assignationem, seu translationem dicti capitalis scutorum tercentorum, et triginta quatuor, et tari quatuor super annona frumentaria annui redditus scutorum decem acceptandi, et hisce desuper publicum instrumentum, seu scripturas cum clausulis solitis, et opportunis celebrandi, seu celebrari faciendi licentiam auctoritate Nostra apostolica concedatis.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus felicitis recordationis Pauli pp. II., et aliorum Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima octava maii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXIX.

Damnatio, et prohibitio libri

Cui titulus

*Memoria cattolica da presentarsi a Sua Santità**Opera postuma: Cosmopoli 1780. fogli 288.*

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **U**t allatum ad Nos fuit librum quemdam, cui titulus = *Memoria cattolica da presentarsi a Sua Santità. Opera postuma Cosmopoli 1780., fog. 188.* = editum esse furtivis typis, ejusque nonnulla vulgata exempla, ex ipso rumore gravem aliquam de se suspicionem injecisse: statim, quod a Nobis apostolica sollicitudo requirere visa est, Nostro sacri palatii magistro mandavimus, ut per suum edictum illa clandestini operis divulgatio districtè inhiberetur. Eo edicto die 3. januarii proxime præteriti promulgato, non solum opus ipsum vetitum interdictumque fuit, ne videlicet evulgari a quocumque, retineri, introduci que posset, sed etiam uti malignum, ac omnino reprobandum notabatur.

Dat. die  
15 junii  
1781  
Anno VII.

Liber generice damnatus extitit vix in lucem prodit.

§. 2. Illuc tamen jam res processerat, ut hisce generalibus dumtaxat notis, quibus configebatur liber, contenti esse non deberemus, sed ad speciales alias, magisque distinctas ac proprias Nobis deveniendum esse videbamus. Ut tamen omnis per Nos esset æquitatis habita ac servata ratio, eundem librum diuturniori, accuratiorique examine subiiciendum decrevimus. Propterea plures delegimus theologos, quos ab omni partium studio prorsus alienos, et Dei gloriæ, et fidelium utilitati unice intentos cognoscebamus, eisque præfatum opus maturo judicio perpendendum commisimus, unaque mandavimus, ut quisque seorsum Nobis in scriptis exponeret, quæcumque in eo libro animadvertenda, quibusque notis configenda existimasset.

Speciali congregationi postea ipsius examen conceditum fuit.

§. 3. Jussis illi Nostris diligenter obsecuti, suas quisque relatas in scriptum sententias ad Nos detulerunt. Unus idemque omnium sensus fuit, paribusque omnes notis *memoriam* illam publica infamia inurendam esse censuerunt. Nos igitur cum rite considerassemus, ac per Nos ipsos perpendissemus theologorum animadversiones, ac sententias, cumque eas gravi judicio,

Judicium deputatorum fuit publica infamia librum inurendum esse.



ac ratione peractas deprehendissemus, minime dubitavimus quin apostolicæ sententiæ, Nostrique iudicii auctoritatem interponeremus.

Proscriptionis tenor.

§. 4. Itaque motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, deque apostolicæ potestatis plenitudine memoriam præfatam, ut continentem propositiones piarum aurium offensivas, scandalosas, temerarias, erroneas, injurias, seditiosas, de hæresi suspectas, et ad schisma tendentes, juxta Nobis expositas theologorum censuras damnamus, et reprobamus, ejusque divulgationem, lectionem, retentionem sub pœna excommunicationis interdiciamus, ac prohibemus. Insuper eandem memoriam tanquam libellum infamatorium cum huic sanctæ Sedi, tum catholicis principibus injuriosum in acie Campi Floræ per publicum justitiæ ministrum flammis tradi decernimus, ac jubemus.

Mandatum de tradendis exemplaribus ordinariis, et inquisitoribus s. Officii.

§. 5. Volentes, et auctoritate apostolica mandantes, ut quicumque memoriam illam penes se habuerint, illam statim atque præsentis literæ eis innotuerint, locorum ordinariis, vel hæreticæ pravitatis inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita, illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Ut autem eædem præsentis literæ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate præfata decernimus, illas ad valvas basilicæ principis apostolorum, ac cancellariæ apostolicæ, nec non curiæ generalis in monte Citatorio, et in acie Campi Floræ de urbe, per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic vero publicatas omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ et intimatæ fuissent; ipsarum autem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ haberentur eisdem præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xiii. junii MDCCLXXXI. pontificatus Nostris anno septimo.

CCCXX.

Dat. die  
15. junii  
1787  
Anno VII.

Imminutio festorum in loco Gazoldi, ejusque territorio Nullius diœcesis provinciæ Mediolanensis.

Venerabili fratri episcopo Cremonensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. **C**um sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper consideratione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniat adversum: ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientie angore contemnuntur.

Prædium.

§. 2. Quoniam autem sicut Nobis expositum fuit, quod in loco Gazoldi, ejusque territorio Nullius diœcesis provinciæ Mediolanensis adeo excreverunt calamitates, et angustie propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolæque, et præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persæpissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis se se addicere pro pane lucrando, et ideo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Ratio concessionis.

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Dominis opossimus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste sustinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem ino-

Tenor concessionis.

pes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuæ, qui (ut asseritur) ordinarius vicinior existis per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus in prædicto loco, ejusque territorio existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus Dominicis, nec non nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, paschatis Resurrectionis, et sequenti, pentecostes, et sequenti, et corporis Christi, ac Ascensionis, sancti Joannis Baptistæ, ac sauctorum Petri, et Pauli, ac Jacobi apostolorum, et commemorationis omnium sanctorum; præterea quinque dicatis B. M. V. immaculatæ, scilicet purificationis, annunciationis, assumptionis, nativitatis, et conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelarum cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat præcepti obligatio; in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem præscriptis, sive per synodales constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate apostolica per te commutari volumus, præceptis, præscriptisque (audita missa) laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus sine ullo prorsus conscientie scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non loci prædicti, ejusque territorii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac

aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud s. Petram sub annulo piscatoris die decima quinta junii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXXI.

Dat. die  
27. junii  
1781  
Anno VII.

Concessio indulgentiæ plenariæ assequendæ ab eis, qui visitaverint aliquam ex ecclesiis fratrum ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum secunda dominica immediate sequenti post Epiphaniam Domini Nostri Jesu Christi.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti; omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra comunione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum ordinis minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum ubicumque existentibus, secunda dominica immediate sequenti post Epiphaniam Domini Nostri Jesu Christi a primis vespere usque ad occasum solis dominicæ hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Tenor concessionis

§. 2. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo per-

Fides habenda transumptis.

sonæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, seu procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xxvii. junii MDCCLXXXI. pontificatus Nostri anno septimo.

admissionem petentes inter cætera probare teneantur = Avere contratti matrimonj nobili, o almeno conveniente, decorosi, e civili = ac in capitulo tertio decernitur = che particolarmente in tempo della ammissione la famiglia del signor pretendente possenga un patrimonio ad uso degli altri nobili di questa città = quæ quidem splendori, ac dicti collegii decori non satis prospicua videntur, hinc ad cohibendam nimis amplam dispositionem capituli secundi, ac etiam præscribendam intra certos limites indefinitam quantitatem patrimonii in admissionem petentibus in capitulo tertio requisitam dicti exponentes e re sua putarunt sese collegialiter congregare, ac memorata duo capitula declarare, ac reformare statuerunt; die vero sexta martii currentis anni MDCCLXXXI. resolutionem edixerunt, tenoris, qui sequitur.

qui admissio-  
nem peteret  
et quomodo  
nimis ampla  
esset disposi-  
tio circa ad-  
missionem hu-  
jusmodi in per-  
niciem decoris  
collegii.

Dat. die  
6. iulii  
1781  
Anno VII.

CCCXXII.

Confirmantur statuta ad magis magisque protuendam nobilitatem collegii della Mercanzia nuncupati civitatis Perusinae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium

§. 1. **E**a est infirmitatis Nostræ humanæ misera conditio, ut raro contingat, quæ hujus sæculi sunt, tam scite, ac prudenter constitui, quin brevi declarari, aut reformari expectent: quod profecto in novis legibus a nobili collegio della Mercanzia civitatis Nostræ Perusinae pro admissione nobilium ad collegium editis evenisse constat.

§. 2. Siquidem, sicut pro parte directorum filiorum juratorum nuncupatorum nobilis prædicti collegii della Mercanzia Nobis nuper expositum fuit, alias, die nempe quinta januarii anni MDCCLXXIV. collegialiter ipsi congregati ad omnes antevertendis lites, ac dirimenda dissidia, quæ antea temporibus pro admissione nobilium ad collegium prædictum exortæ erant, resolutiones tam anno MDCLXX., quam anno MDCLXXV. super novis admissionibus latas declararunt, novasque etiam conditiones, ac requisita in admissionem hujusmodi petentibus præscripserunt, servata tamen sibi facultate, dummodo totum in id consentiret collegium hujusmodi statuta juxta rerum vices declarandi, reformandi, ac prorsus immutandi, hancque resolutionem subinde a felicis recordationis Clemente pp. XIV. prædecessore Nostro per suas literas in simili forma Brevis die quarta maii anni MDCCLXXIV. expedita apostolica auctoritate confirmari impetrarunt.

§. 3. Verum quia in dictæ resolutionis capitulo secundo disponitur, quod

§. 4. Fu pensato saviamente finò dall'anno 1774. che per conservare lo splendore, e decoro di questo nostro nobilissimo collegio della Mercanzia, fosse d'uopo riformare, e moderare le antiche leggi del medesimo emanate negli anni 1670., e 1685. riguardanti li necessarj requisiti, che concorrer dovevano in quelli signori candidati, che allo stesso collegio domandavano l'aggregazione. Quasi sotto il dì 5. di gennaio furono proposti in piena adunanza quelli capitoli sopra di ciò formati, e dopo di essere stati questi approvati a pieni voti si passò in sequela ad implorarne la conferma dalla sa. me. di Clemente quattordicesimo sommo pontefice, il quale benignamente la concesse mediante un Breve emanato sotto il dì 15. di maggio dello stesso anno.

§. 5. Ma perchè nel capitolo secondo della detta riforma si stabilisce, che da chi domanda l'aggregazione, provar si debba, che per il corso di anni duecento sia la di lui famiglia vissuta di entrata con trattamento more nobilium, giustificando insieme di aver contratti matrimonj nobili, o almeno convenienti, decorosi, e civili; ed essendosi seriamente avvertito, che l'ammettere al collegio chi solamente proponga matrimoni convenienti, decorosi, e civili, manifestamente si oppone allo splendore dello stesso collegio; tanto più che in questa guisa si andrebbe a perdere da esso quell'antico credito, e provanza di generosa nobiltà, che sempre ha fatta per l'ottenzione delle croci, ed ordini nobili; perciò sembrando troppo ragionevole, e giu-

Novæ hinc de-  
clarationes da-  
te sunt, et re-  
formationes  
prudentes.

Leges quibus  
collegium re-  
gitur approba-  
tæ fuerant a  
pontifice Cle-  
mente XIV.

Qui admissio-  
nem in colle-  
gio flagit  
evincere tene-  
tur habere re-  
quisita solita  
ab equestri or-  
dine Hieroso-  
lymitano.

Memoratur  
quid probare  
teneretur is

sto di restringere in qualche modo la troppo ampia espressione apposta in detto capitolo secondo, ed in quella parte, in cui sono stati accordati li semplici matrimonj convenienti, decorosi, e civili. Si propone se piaccia in vigore eziandio delle facoltà accordateci nel ridetto Breve, di derogare, e riformare il detto secondo capitolo in detta parte soltanto, e non altrimenti, dichiarando, che quelli signori pretendenti, li quali non avranno avuto verun ascendente, nè trasversale in collegio, siano tenuti, e debbano giustificare, e provare, che la madre, ava, proava, e abava per lato paterno delli medesimi, e così le quattro sopraddette femmine ascendenti, siano nate di famiglia patrizia di questa città, o di altra città nobile, che faccia l'effettivo patriziato, e la provanza per l'ammissione al sagra ordine Gerosolimitano, e che le altre precedenti donne della di loro famiglia, e fino alli duecento anni, provengano da famiglie, che sian- si in detti rispettivi tempi trattate nobilmente, ed insieme di grado nobile, benchè non giunte alle prove del patriziato.

Item habere debet patrimonium a quo saltem fructus annuos consequatur ad pedes scutorum mille biscentorum.

§. 6. Così ancora sembra meriti qualche più individuo schiarimento il capitolo terzo della sopraddetta riforma fatta nell'anno 1774, in quella sola parte, nella quale si prescrive, che quelli, che domandano l'ammissione debbano essere forniti di un patrimonio bastante per vivere more nobilium; poichè per evitare questioni, e controversie, è opportuno consiglio, di fissare, e stabilire la precisa determinata annua entrata goduta, e posseduta dal pretendente, che non averà avuto alcuno ascendente, o trasversale in collegio, o dalla di lui famiglia nel tempo dell'ammissione; onde si propone, se piaccia stabilire, dichiarando in detta parte solamente il sopraenunciato capitolo terzo, che chiunque pretendente, che non abbia avuto veruno ascendente, o trasversale in collegio, sia tenuto, e debba giustificare, che la di lui casa, e famiglia, e rispettivamente lo stesso pretendente, goda, e possieda di proprio, e nel tempo dell'ammissione tale patrimonio, e capitale certo, che renda almeno l'annua, e netta entrata di scudi mille, e duecento, libera, ed esente da qualunque diminuzione, e peso.

E che finalmente rimanga sempre in libertà delli nobili signori giurati del collegio suddetto di fare in avve-

nire qualunque altra deroga, e riforma, qualora però concorrano tutti li voti concordi della piena adunanza, e non altrimenti.

Et posito partito ad bussola, ut moris est, illoque postea detect. fuit repert. leggfne obtent. per omnia vota alba favorabilia num. quindecim.

§. 7. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut ea, quæ pro dicti collegii della Mercanzia dignitate conservanda fuerant noviter sancita, ac præscripta firmiter subsistant, ac futuris temporibus serventur exactius, dicti exponentes hanc resolutionem per Nos approbari, et confirmari plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignamur.

Preces porrectæ pro assequenda confirmatione declarationum noviter sancitarum.

§. 8. Nos, audita prius dilecti filii magistri Joannis Francisci Arrigoni dictæ civitatis Nostræ Perusioræ, ejusque comitatus Nostri, et Sedis apostolicæ gubernatoris relatione, ipsosque exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertam resolutionem a dicto collegio, ut præmittitur, aditam, una cum omnibus et singulis in eis contentis, ac expressis auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus; illisque apostolicæ et inviolabilis perpetuæ firmitatis robur adiicimus, ac illam futuris temporibus servandam, et exequendam volumus, et mandamus.

Tenor confirmationis apostolicæ.

§. 9. Decernentes ipsas præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis omnibus, ad quos spectat in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ civitatis, et collegiorum

Derogatio contrarium.

hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores presentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum per presentes non intendimus præjudicium ullum inferre juribus dicti Joannis Baptistæ, quibus propterea juxta memoratum rescriptum editum die xviii februarii MDCCLXVIII. ipse uti etiam in posterum valeat, perinde ac si eadem presentes non emanassent. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta julii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXXIII.

Dat. die  
11 julii  
1721  
Anno VII.

Præscriptio statutorum ad eligendum priorem monasterii sancti Laurentii de Excuriale Toletanæ diœcesis ordinis sancti Hieronymi.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Pretiosa religionis disciplina ipsa Dei lex est, quæ apud eum fixa semper manens in sapientes animos quasi transcribitur, ut tanto se sciant vivere melius, tantoque sublimius, quanto et perfectius eam contemplantur, intelligendo, et vivendo custodiunt diligentius. Gaudet ecclesia, Nostrumque gaudium est undique plenum, si religiosi viri in id diligenter incumbant, ut in legum custodia, disciplinam ipsam custodiant, ut vitam inveniant. Hinc libentissime iis omnibus annuere solemus, quæ ad ecclesiastica jura sarta, tecta-

Bull. Rom. Tom. VI.

que servanda, et ad religiosorum virorum tranquillitatem conferunt, maxime si ex christianorum principum, qui religioni præsidio, et ornamento sunt, piis votis profisciscuntur.

§. 2. Cum itaque pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli III. Hispaniarum regis catholici Nobis nuper expositum fuit, quod alias Philippus II., dum vixit, Hispaniarum rex catholicus ecclesiam, ac monasterium sancti Laurentii in Excuriali Toletanæ diœcesis situm a fundamentis regio sumptu magnifice erexit, dotavitque, ac monachis ordinis sancti Hieronymi in perpetuum obtulit. Placere sibi initio declaravit, ut ejusdem monasterii prior ab ipso conventu monachorum ibidem degentium canonice, ac libere eodem prorsus modo eligeretur, quo in aliis ejusdem ordinis domibus respective eligi solitum esset; ac solummodo sibi, suisque in posterum successoribus Hispaniarum regibus in recognitionem foundationis, ac dotationis tam splendidæ, præsertim cum in ea ecclesia deinceps defunctorum regum, regiarumque personarum cadavera essent tumulanda, id juris voluit esse reservatum, ut quotiescumque ejusdem ecclesiæ, et monasterii prior, canonici, ut supra eligi, et a confirmatoribus ejusdem ordinis statuta approbari contigisset, peractæ electionis, et confirmationis nuncius confestim ad se, et respective ad reges successores suos mitteretur. Quo nuntio in scriptis non solum de celebrata prioris electione, confirmationeque, sed etiam de quibuscumque aliis rebus ad hæc spectantibus rex pro tempore existens certior fieret.

§. 3. Quæ omnia a prædicti ordinis generali capitulo anno MDLXVII. celebrato, cum gratiarum actione suscepto admissa, et acceptata fuerunt; in quo etiam eodem capitulo cum propositum esset ipsius Philippi regis nomine, ut statim ac quadragenarius monachorum numerus adfuisset, quo numero monachorum Excurialis monasterii fundatio erat constituta, prior ab ipsis eligeretur eodem modo, ac in antiquis ejusdem ordinis domibus priores respective eligi consueverant; id quoque capitulum approbavit, omniaque ita statui, ac disponi voluit, ut Philippo regi placitum esset.

§. 4. His ita constitutis, idem nihilominus Philippus secundus rex nova deinde capitula, novasque ordinationes edidit de prioris, aliorumque officiarum Excurialis monasterii eligendorum

Memoratur erectio monasterii facta a rege Philippo secundo, et lex ab ipso lata super electione prioris.

Omnia fuerunt probata in capitulo generali, habito de anno 1567.

Et Sixtus papa V. omnia apostolica auctoritate confirmavit; factis specialibus declarationibus

ratione, quas ut in posterum inviolabiliter observarentur a felicitis recordationis Sixto pp. V. prædecessore Nostro per literas in simili forma Brevis die iv. septembris MDLXXXVIII. expeditas, quarum initium est = *Ex debito pastoralis officii* = apostolica auctoritate muniri, et confirmari impetravit. Præscriptum in iis erat, ut prioris sancti Laurentii in Excuriali electio ab ordinis generali, et a definitoribus generalis capituli triennali intervallo celebrari soliti fieret eodem modo, qui in electione priorum novarum domorum observari consuevit, et expresse vetabatur, ne electio prioris domus sancti Laurentii in ipsa domo celebraretur; ita plane, ut hac in re sancti Laurentii domus in novarum domorum numero esset habenda; utque hujusmodi electionis forma ibi præscripta, nullo deinceps tempore, neque totius ordinis statuto, neque alias variari, mutarive posset. Alio præterea ordinationum earundem apostolica auctoritate, ut supra, confirmatarum capitulo statutum fuit, ut ad prædictam prioris electionem efficiendam necessarius esset consensus, saltem majoris partis ex novenniali votorum numero, quem generalis cum definitoribus suis, qui tunc temporis octo erant, explebant, utque idem servata proportione obtineret, si forte progressu temporis definitorum numerus augeri contingeret; alio itidem capitulo vetabatur, ne prior, qui id officium peregisset, rursus ad id ipsum officium inibi obeundum posset eligi, nisi triennali spatio interjecto, præterquam si ex tribus omnium vocalium partibus duæ in eum denuo eligendum consentirent. Qui autem sexennio prioratum illum gessisset, si omnino rursus eligi prohibebatur, præter hæc iis etiam erat ordinationibus interdictum, ne alii Excurialis monasterii priores, quam qui in ipsa eadem sancti Laurentii domo religiosam professionem emisissent, dotibusque ad eam rem necessariis essent instructi. Quod si priorem aliquando ante completum triennale munus mori contingeret, tantum fuit prædictis ordinationibus, ut generalis in privato capitulo priorem sufficeret, reliquum officii tempus, usque ad proximum generale capitulum expleturum; qui prior defuncto suffectus ubi ad annum tantum id officium gessisset, libere posset in proximum triennium eligi.

Reservavit  
rex ad vitam

§. 5. Præterea idem Philippus rex fundator reservatam voluit sibi, quan-

diu viveret, facultatem nominandi tum in generali, tum in privato capitulo religiosum aliquem illius ordinis virum, tametsi non in ea domo, sed in alia quavis professum, qui prioratu per sexennium gesto ipso Philippo regi merito suo gratus, acceptusque esset, ad hoc ut observata in reliquis præscripta electionis forma sexennio expleto rursus eligi in priorem posset.

ius eligendi  
priorem.

§. 6. Philippo II. viam universæ carnis ingresso, cum deinceps Hispaniarum reges, qui ei ex ordine succedere usque ad claræ memoriæ Ferdinandum VI. eodem hoc jure, quod sibi prædictus Philippus II. ad suæ solummodo vitæ tempus reservaverat, gaudere, atque uti præoptassent; quemadmodum ille a memorato Sixto V., ita etiam hi a Romanis pontificibus pro tempore existentibus veniam impetrarunt, uti in apostolicis literis prædecessorum Nostrorum Pauli papæ V., Urbani VIII., Alexandri VII., et Clementis XI. in simili forma Brevis expeditis continetur.

Successores  
idem jus con-  
secuti sunt a  
sancta Sede.

§. 7. Cum vero memoratus Ferdinandus VI. rex catholicus pro ea, qua maxime præstat pietate, de electionum priorum sancti Laurentii ab eo tempore celebratarum validitate merito dubitasset, atque a Nobis remedium aliquod ad futuri temporis cautionem, et opportunas, ac necessarias facultates peteret; ad cuius preces Nos per alias Nostras in simili forma Brevis sub die septima junii MDCCLXXX. expeditas literas omnes, et quoscumque defectus, qui in prædictis electionibus ad id usque temporis quomodolibet intervenissent apostolica Nostra auctoritate sanavimus, ac præterea indulgimus, ut prior tunc temporis existens prioratus officium administrare pergeret, usque ad canonicam successoris electionem; insuper quoque eidem Karolo regi catholico easdem facultates concessimus, quas Hispaniarum reges memoratus Philippus rex II. fundator, ejusque successores a prædictis Romanis pontificibus singillatim respective obtinuerunt.

Et omnes ele-  
ctiones ratæ  
habite fue-  
runt a pontifi-  
ce.

§. 8. Verum cum idem Karolus rex catholicus prudenter considerans temporis progressu oblivionem posse subrepere, ac incommoda, quæ ab initio regni dicti Ferdinandi VI. deinceps acciderant, renovari; ideoque electioni hujusmodi prioris dictæ domus, et circa eas facultates regis catholici pro tempore existentis certum modum, et formam stabilem a Nobis præscribi optet perpetuis futuris temporibus valituram,

Expostulat  
rex ut certus  
modus statuatur  
pro futuris  
electionibus.



Pro votis regis, pontifex in legitimo modo in futuris electionibus servandum.

§. 9. Nos, qui ipsum Karolum regem cum ob alias eximias eius virtutes, tum ob filiale, ac constans in hanc apostolicam beati Petri Sedem obsequium, ac reverentiam paternis in Christo visceribus arcte complectimur, ipsum specialibus gratiis, atque favoribus, quantum cum Domino possumus prosequi volentes; omnibus mature inspectis, atque pensatis, tum quæ ad catholicorum Hispaniarum regum honorem, et ad referendam ipsis pro tam munifica, ac splendida fundatione, ac dotatione, gratiam, tum quæ ad monachorum inibi pro tempore degentium, atque immortalis Deo famulantium regularem statum, et tranquillitatem pertinent, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, electionem prioris prædictæ ecclesiæ, et conventus sancti Laurentii in Excuriali celebraturam, ac confirmaturam fore, et esse perpetuis futuris temporibus modo, ac forma, quæ sequitur apostolica auctoritate tenore præsentium præcipimus, et mandamus.

De selectione eligibilium, et de jure regis unum seligendi.

§. 10. I.º Electionem prioris dicti monasterii ad eiusdem capitulum iterum devenire volumus; ita tamen, ut a certo ipsius monasterii monachorum numero infra designando libere electi proponantur regi pro tempore existenti, quorum unus ab ipsomet rege monasterii prior sit eligendus, et in hac parte consuetudo, quæ in domibus antiquis nuncupatis ab ordine prædicto servari solet omnino retineatur.

Numerus vocalium constabitur.

§. 11. II. Quia numerus monachorum ejusdem domus, benediceate Domino, magnopere auctus est, ex nimio autem vocalium numero pro fragilitatis humanæ conditione turbæ possint existere, quibus dulcissimum, atque pulcherrimum pacis vinculum plerumque disrumpitur, idcirco vocalium copiam, ad sufficientem, congruentemque numerum ibidem redactam volentes, quadragenario numero circumscribimus, ac definimus, qui sint omnes in sacro presbyteratus ordine constituti, et cæteris ibidem degentibus professione ordinis antiquiores; præter autem sic præscriptum quadragenarium vocalium numerum, vocem etiam in capitulo priori, qui prioratus officium dimittit, illis, qui antea prioratus officium exercuerunt, actualibus collegii, et conventus rectori, ac vicario, nec non magistris, aut cathedræ, aut religionis titulo jubilatis, nisi tamen ii ob antiquiorem professionem intra dictum quadragenarium numerum voca-

lium comprehendantur concedimus, ac indulgemus.

§. 12. III. Ah hoc quadragenario vocalium numero proponentur regi pro tempore existenti omnino tres, quos iidem vocales præ cæteris digniores, aptioresque regimini in Domino judicaverint; ex his autem tribus propositis liberum erit regi unum eligere, quem ipse maluerit, secundum Deum. Atque has quidem ternas propositiones ternis distinctis, et successivis actibus celebrari volumus, ita ut singulis proponendis singuli actus celebrentur, quorum unus sit ab alio distinctus.

Ex quadragenario vocalium numero proponi debent eligibiles

§. 13. IV. In quolibet prædictorum actuum ille electus ad proponendum censeatur, in quem ad formam electionis canonicæ major pars vocalium consenserit, hoc est saltem unus supra medietatem; in eo autem proponendo exponantur regi ejusdem merita, officia, et quæ obierit munera, nec alia silentio omittantur, quæ ad hominem ex vero estimandum conferre possunt. Itemque in singulis propositionibus annotetur expresse integer vocalium numerus, qui in unumquemque ex ternis actibus concurrat.

De forma servanda in proponenda electione.

§. 14. V. Singulæ ex ternis propositionibus non pluribus, quam duobus ad summum scrutiniis terminentur: quod si contingat in primo scrutinio, vota inter multos dividi, ita ut nemo unus plus, quam medietatem votorum pro se habuerit, alterum fiat; in quo tamen secundo scrutinio nominari non poterunt, nisi duo tantum ii, qui in primo majorem præ cæteris habuerint votorum numerum, cumque inter ipsos parem in primo scrutinio habuissent, tunc in secundo scrutinio duo tantum ex ipsis ii nominari possint, qui ordinis professione sint antiquiores. Sin autem in primo unus majorem obtinisset votorum partem; cæteri uno inter se parem, ex his, qui professionem ordinis fuerit antiquior, simulque ille, qui plura habuit vota, secundo scrutinio committentur; in quo vocales non nisi in alterutrum ex his duobus votum suum poterunt dirigere.

De modo faciendi scrutinia.

§. 15. VI. Si quando contigerit, ut in primo scrutinio duo parem votorum numerum referrant, nempe medietate una omnium vocalium uni, altera alteri suffragante; secundo scrutinio sit locus, in quo si iterum votorum paritas utrinque constiterit, proponatur regi ambo conjunctim, expressis distincte officiis, maneribusque obitis, antiquitate a professione, atque aliis, quæ

De iis qui paria suffragia reportarunt.

laudatione sint dignæ amborum dotibus. At si in primo quidem scrutinio, neque electio esset conclusa, neque votorum paritas accidisset, accideret autem paritas in secundo scrutinio: non erit tamen ulterius ad tertium procedendum, sed modo, ac ratione jam dicta, qui paritatem ex secundo scrutinio retulerint, proponuntur regi ambo conjunctim.

Excluditur tertium scrutinium quolibet in casu.

§. 16. VII. In qualibet ex tribus propositionibus eadem forma servabitur, quæ mox tradita est; ita ut nunquam plura, quam duo scrutinia habeantur; utque si in neutro quidem major vocalium pars in unum aliquem consentiret, atque in secundo paritas votorum contingeret, id omnino servetur, quod supra præscriptum est. Sin autem in secundo scrutinio, neque major votorum pars in unum aliquem caderet, neque accideret paritas, votis in varias partes distractis, ille proponetur, qui majorem præcæteris votorum numerum retulerit; qui major numerus si duobus, aut pluribus simul æqualiter, hoc est ad paritatem contigerit; tunc omnes isti inter se votis pares proponantur conjunctim: quo utroque casu apponetur in propositione votorum numerus, quem retulerint, eorumque a professione antiquitas, peractique ab ipsis in religione cursus, et reliqua ad eosdem spectantia exponantur.

Facultas eligendi etiam extraneum religiosum virum.

§. 17. VIII. Non obstante ordinatione a Philippo II. edita post mortem ipsius observanda, liceat prædictæ domus vocalibus eligere promovendos ad prioratus officium, si forte id opportunum putaverint, religiosos viros, vel in alio quolibet ejusdem ordinis conventu professos, proinde ac in aliis ipsius ordinis domibus, quas antiquas nominant, fieri consuevit.

Prohibitio de non renovanda electione non interjecto sexennale interstitio.

§. 18. IX. Prior, triennio expleto, neque iterum eligi, neque propositione comprehendendi queat, nisi post interjectum sexennale interstitium: hoc autem elapso, proponi iterum poterit, si tamen ex omnium vocalium numero quadrifariam diviso tres partes votorum in illum consenserint; altero autem prioratus triennio functus, rursus deinceps eligi omnino non possit.

Mortuo priore in officio statim novus eligendus.

§. 19. X. Quotiescumque priorem in officio mori contigerit, continuo mox novus prior in triennium juxta statutam formam eligatur, non autem substituat prior interimus, seu suffectus quispiam.

De nuncio regi mittendo an

§. 20. XI. Duobus ante mensibus, quam prioris triennium expiret, ejus

rei nuncius regi pro tempore existenti mittatur, ut ipsius regis nutu ad novi prioris electionem possit deveniri, intra illud temporis spatium celebrandam, quod ipse rex constituerit; quod si dederit electioni locum prioris mors, statim ac ille e vita decesserit, nuncius regi eandem ob causam erit mittendus.

tequam triennium expiret.

§. 21. XII. Priorem, quem ex tribus propositis denunciaverit rex, confirmari volumus, eodem modo, ac jure, quo alii omnes antiquarum domorum priores solent confirmari; ad quas nempe designati a generali confirmatores se conferunt, electioni adsunt, eamque confirmant. Id ipsum autem in prædicta sancti Laurentii domo observari mandamus, monito prius generali ordinis, ut confirmatores duos idoneos destinet, qui in eadem sancti Laurentii domo tamdiu moram trahant, quousque præelectus a rege, atque ab ipsis confirmatus prior in officii sit possessionem ingressus.

Electus a rege confirmatus apostolica auctoritate censetur.

§. 22. XIII. Ut vocales plena in eligendo libertate fruantur, nemini liceat certas personas ad eligendum, proponendumque denotare, neque a procuratore in regia curia residente supplex libellus regi exhibeatur, quod antea factum fuisse fertur ad rogandam actualis prioris reelectionem; quem quidem hac a Nobis constituta forma locus reelectioni in posterum sit præclusus, neque vero petitionis ejusmodi iustitue dæ facultas procuratoris potestate contineatur.

De libertate in electione servanda.

§. 23. XIV. Electioni tribus successivis actis supra præscriptis celebrandæ præmittatur perpetuis futuris temporibus coram omnibus vocalibus simul collectis præsentium Nostrarum litterarum lectio; atque harum lectione expleta, tum denique ad electionem procedatur per vota secreta, deputato prius juxta prædicti ordinis constitutiones, fratre schedulas collecturo, cui in virtute sanctæ obedientiæ inviolabilis secreti custodia sub formali præcepto imponatur.

Mandatum de præmittenda lectione litterarum præsentium, celebrationi actorum electionis.

§. 24. Decernentes has præsentibus litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii aposto-

Claustra subblata, et de rebus irritantia.

lici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et defini debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 25. Non obstantibus Sixti prædecessoris in simili forma Brevis die iv. septembris MDLXXXVIII. expeditis literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasterii prædictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquiritur forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima julii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.



CCCXXIV.

Confirmantur literæ apostolicæ alias editæ, quibus suppressa fuit abbatia monasterii Sulepviensis Gnesnensis diocesis, et ejus bona unita mensæ conventuali ejusdem monasterii: confirmatur quoque electio prioris monasterii hujusmodi.

Dat. die  
14. julii  
1781  
Anno VII.

Venerabili fratri Joanni Andreae archiepiscopo Calcedonensi Nostro, et Sedis apostolicæ apud carissimum in Christo filium Nostrum Stanislaum Augustum Poloniæ regem illustrem nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem  
et apostolicam benedictionem

§. 1. Nos alias per Nostras literas in simili forma Brevis die xv. novembris, anni MDCLXXVI. expeditas votis carissimi in Christo filii Nostri Stanislai Augusti Poloniæ regis illustris annuentes, ac etiam dilectorum filiorum tunc existentis prioris, et monachorum monasterii Sulepviensis ordinis Cisterciensis Gnesnensis diocesis precibus Nobis humiliter porrectis obsecundare volentes, ut incommodis, quæ ex tenuitate reddituum mensæ conventualis quotidie statui, ac monasticæ disciplinæ dicti monasterii quotidie proficiscebantur, remedium aliquod afferretur, quoties abbatia claustralis dicti monasterii per cessum, vel decessum abbatis tunc existentis vacare contingeret illam prorsus auctoritate Nostra apostolica suppressimus, ac extinximus, bona vero, ac jura ad eandem abbatiam quomodolibet spectantia mensæ conventuali una cum suis oneribus per eandem mensam adimplendis univimus, et incorporavimus, ac insuper, ut monachi prædicti post cessum, vel decessum tunc existentis abbatis claustralis priorem triennalem servatis servandis eligerent, voluimus, ac ordinavimus, prout in dictis literis continetur.

Memorantur  
literæ expeditæ  
ad diem 15  
novembris  
1776 pro suppressione  
abbatis.

§. 2. Verum cum per obitum tunc existentis abbatis nuper abbatia claustralis prædicta una cum suis bonis, et juribus dictæ mensæ conventuali cum effectu incorporata extiterit, ipsique monachi ad electionem prioris ad formam dictarum Nostrarum literarum devenerint, ac in priorem hujusmodi

Preces porrectæ pro consequenda confirmatione ipsarum literarum apostolicarum

dilectus filius Albericus Michelicki monachus dicti monasterii, et ordinis expressisse professus, fuerit cooptatus, monachi monasterii, et ordinis prædictorum ad omnes antevertendas dissensiones, quæ super memorata electione non sine regularis disciplinæ dispendio, quam intentis studiis conservare desiderant, exoriri poterunt, Nobis humiliter supplicari fecerint, ut nedum memoratas Nostras literas, quatenus opus sit de novo confirmare, seu illas innovare, sed etiam electionem prædictam approbare, ac confirmare de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis.

§. 5. Nos, qui nihil curamus impensius, quam ut dissidia, ac partium studia inter regulares præsertim personas, qui Deo proprius famulari noscuntur, procul amoveantur, atque eliminentur, ac omnia in pace fiant, dictorum monachorum votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter ananere volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, huiusmodi tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de tui prudentia, fide, charitate, et religionis zelo plurimum in Domino confisi, fraternitati tuæ committimus, ac mandamus, ut prævia primodictarum Nostrarum literarum, omniumque in eis contentarum approbatione, ac confirmatione, ac innovatione, prout illas auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, confirmamus, ac innovamus, electionem de persona memorati Alberici Michelicki in priorem dicti monasterii Sulepyviensis capitulariter, et canonice, ut asseritur, factam, auctoritate Nostra apostolica approbes, ac confirmes, ac omnes, et singulos juris, et facti, etiam substantiales defectus, si qui quomodolibet in ipsa electione intervenerint, dicta auctoritate sanes, ac suppleas, prout sanamus, et supplemus, eique apostolicæ inviolabilis firmitatis robur adicias.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentis literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter ob-

servari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et Delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, ac sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicari, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, ac monasterii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultiis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decima quarta julii millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.



Dat. die  
18 Julii  
1781  
Anno VII.

CCCXXV.

Confirmatio permutationis nonnullorum locorum existentium alias intra districtum abbatiae s. Michaelis de Clusa nullius diocesis provinciae Taurinensis, cum aliis intra diocesim Taurinensem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Decet ex benignitatis Sedis apostolicæ studio provenire, ut ea, quæ pro divini cultus augmento, ac animarum Christifidelium salute provida ratione constituta sunt, suæ protectionis munimine confoveat: undè Nos ad ejusdem apicem nullis Nostris suffragantibus meritis, sed divina disponente clementia assumpti, his, quæ propterea facta comperimus, Nostræ approbationis robur, cum a Nobis petitur, libenter adijcimus, præcipue dum ex his fratres Nostri in pastoralis Nostræ sollicitudinis partes vocati super sibi commissio grege advigilantes facilius, et ea, quæ sunt noxia ab eo repellere, et quæ utilia quærere, et oves eis coacreditas salvas, ad æternum ovile agere possunt.

Tenor præsum  
porrectarum  
super exposi-  
tione status  
juitæ permuta-  
tionis.

§. 2. Sane Nobis nuper pro parte dilecti filii Nostri Hyacinthi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri tituli sancti Joannis ante portam Latinam cardinalis Gerdil nuncupati, ac venerabilis fratris Victorii Mariæ Balthaxaris Cajetani archiepiscopi Taurinensis expositum fuit, quod cum ipsi quam plurima incommoda non sine gravi Christifidelium animarum detrimento oriri comperissent ex eo, quod territorium abbatiae sancti Michaelis de Clusa ordinis sancti Benedicti nullius diocesis provinciae Taurinensis, quam memoratus Hyacinthus cardinalis in commendam obtinet, ac territorium, seu diocesis Taurinensis aliquibus in locis ad invicem nimis intus penetrent, hinc, ut animarum eis respective concreditarum bono consulerent, quamdam permutationem super certa portione suorum respective territoriorum, ac diocesum cedens nempe memoratus Hyacinthus cardinalis districtam *la Loggia* nuncupatum, et parociam s. *M. della Stella*, et sancti Laurentii de Caccia, ut dioecesi Taurinensi perpetuo uniantur, et incorporantur, sic pariter archiepiscopus Taurinensis prædictus cedens abbatiae

sancti Michaelis prædictæ parocias de Trana, et de Valgioje, ut illi itidem perpetuo uniantur, et incorporantur, stipulare constituerunt: ac hisce desuper reservato Nostro, et Sedis apostolicæ beneplacito reapse publicum instrumentum stipularunt. Cum itaque sicut eadem expositio subjungebat, permutatio hujusmodi, ac instrumentum desuper confectum, ut firmitus subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communi summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignemur.

§. 3. Nos igitur, cum ex permutatione prædicta memoratis incommodis provide occurratur, ac specialem exponentibus prædictis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, permutationem prædictam, ac instrumentum desuper stipulatum auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adijcimus, omnesque, et singulos etiam substantiales juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, auctoritate, et tenore prædictis supplementum, ac sanamus.

Confirmatur  
permutatio  
suppletis defe-  
ctibus juris, et  
facti.

§. 4. Decernentes has præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiti debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sub-  
blata, et de-  
cretum irri-  
tans.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec

Devotio con-  
trarium.

non dictæ abbatæ, ac diœcesis Taurinensis etiã juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiã derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die decima octava juli millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die  
9 augusti  
1781  
Anno VII.

CCCXXVI.

Concessio indulgentiæ plenariæ assequendæ ab eis, qui die xii. novembris a primis vesperis usque ad occasum solis visitaverint aliquam ex ecclesiis fratrum ordinis sancti Francisci Capuccinorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Tenor concessionis.

§. 1. **A**d augendam fidelium religionem, et animarum salutem celestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti; omnibus, et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione reffectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum ordinis sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum ubique existentibus die duodecima mensis novembris a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Mariæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum

suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 2. In contrariam facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Votumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiã impressis manu alienjus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die nona augusti millesimo septingentesimo octuagesimo primo pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

CCCXXVII.

Dat. die  
17. augusti  
1781.  
Anno VII.

Exemptio monasterii monialium ordinis b. M. v. de Monte Carmelo exalceatarum in civitate Florentina existentis a regimine fratrum eiusdem ordinis, eiusque subiectio ordinarii iurisdictioni.

Venerabili fratri Karolo archiepiscopo Patracensi in civitate Florentina, et dominio dilectissimi in Christo filii Nostri Petri Leopoldi regii Hungariæ, et Behemiæ principis archiducis Austriæ Hetruriæ sibi subjectæ magni ducis Nostro, et apostolicæ Sedis nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. **C**um, sicut accepimus, in civitate, et diœcesi Florentina unum reperiat monasterium monialium ordinis beatæ Mariæ virginis de Montæ Carmelo exalceatarum nuncupatarum sub titulo, seu invocatione sanctæ Theresiæ, quod quidem monasterium subsit curæ, regimini, gubernio, et superioritati fratrum ordinis beatæ Mariæ virginis de Monte Carmelo exalceatarum nuncupatarum de sancto Paulino pariter nuncupat. grave autem reddatur onus iisdem fratribus gerendi curam, ac gubernium dicti monasterii sanctæ Theresiæ, illudque visitandi; idque animadvertentes ipsius ordinis superiores a cura, regimine, gubernio, et superioritate hujusmodi liberos esse desiderant;

Ratio, et tenor concessionis.



hinc est, quod Nos quieti, et tranquillitati tam fratrum prædicti ordinis, quam ejusdem monasterii, ac dilectarum in Christo filiarum monialium in eo existentium paterna charitate providere volentes, memoratos fratres ordinis beatæ Mariæ virginis de Monte Carmelo exalceatos nuncupatos a cura, gubernio, regimine, et superioritate prædictis auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo eximimus, et liberamus, ac moniales prædictas curæ, gubernio regimini, superioritati, et ordinariæ jurisdictioni venerabilis fratris archiepiscopi Florentini auctoritate, et tenore prædictis pariter perpetuo subjuicimus, submittimus, et subponimus.

Deputatio  
commissarii  
apostolici pro  
executione li-  
terarum.

§. 2. Quocirca fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut ad earumdem præsentium Nostrarum literarum executionem absque ulla mora, retardatione, et impedimento procedas, illasque exequi omnino cures, et facias; tibi que propterea plenam, et amplam facultatem ea omnia gerendi, declarandi, et decernendi, quæ in exequendis iisdem præsentibus magis in Domino expedire judicaveris, auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

Clausula su-  
blata, et de-  
cretum irri-  
tans.

§. 3. Decernentes has præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio  
contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ordinis, et monasterii prædicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus

pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus tamen, et harum serie declaramus, quod moniales prædictæ licet a regimine dictorum fratrum exemptæ, nihilominus gratiis, indultis, et privilegiis spiritualibus alias per summos pontifices prædecessores Nostros earum ordini concessis, nec non ritu, quo in ecclesiasticis precibus usque in præsens usæ sunt, uti, ac respective frui libere, ac licite possint, et valeant.

§. 5. Decernimus insuper, ut præsentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima augusti millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Fides habenda  
transumptis.



Dat die  
17. augusti  
1781  
Anno VII.

CCCXXVIII.

Exemptio quatuor monasteriorum monialium ordinis s. Benedicti congregationis Camaldulensis a jurisdictione fratrum ejusdem ordinis, et congregationis, eorumque subjectio respectivis ordinariis.

Venerabili fratri Karolo archiepiscopo Patracensi in civitate Florentina, et dominio dilectissimi in Christo filii Nostri Petri Leopoldi regii Hungariæ, et Bohemiæ principis archiducis Austriæ Hetruriæ sibi subjectæ magni ducis Nostro, et apostolicæ Sedis nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem  
et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus, quatuor in istis partibus reperiantur monasteria monialium ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensis, unum scilicet sub titulo, seu invocatione sancti Benedicti Aretinæ diœcesis, aliud vero sub titulo pariter, seu invocatione sancti Joannis evangelistæ de *Pratovecchio* nuncupati Fesulanæ diœcesis, tertium vero sancti Joannis Evangelistæ de Boldrone nuncupati, et quartum sancti Petri de Luco Florentinæ diœcesis, quæ quidem monasteria subsint curæ, gubernio, regimini, et superioritati monachorum ordinis Sancti Benedicti congregationis Camaldulensis *degli Angeli* nuncupatæ; grave autem reddatur onus iisdem monachis gerendi curam, et guberniam dictorum monasteriorum, nec non eadem monasteria visitandi, idque animadvertentes ipsius ordinis superiores a cura, regimine, gubernio, et superioritate hujusmodi liberos esse desiderant; hinc est, quod Nos quieti, et tranquillitati tam monachorum prædicti ordinis, quam eorumdem monasteriorum, ac dilectarum in Christo filiarum monialium in eis existentium paterna charitate providere valentes, memoratos monachos ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensis a cura, gubernio, regimine, et superioritate prædictis auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo eximimus, et liberamus, ac moniales prædictas curæ, gubernio, regimini, superiori-

tati, et ordinariæ jurisdictioni quoad primum monasterium sancti Benedicti venerabilis fratris episcopi Aretini; quoad secundum nempe sancti Joannis Evangelistæ *di Pratovecchio* venerabilis iisdem fratris episcopi Fesulani, quoad altera duo, scilicet sancti Joannis Evangelistæ de Boldrone, et sancti Petri de Luco, venerabilis pariter fratris archiepiscopi Florentini auctoritate, et tenore prædictis pariter perpetuo, ac respective subiicimus, submittimus, et subponimus.

§. 2. Quocirca fraternitati tuæ præsentibus committimus, et mandamus, ut earumdem præsentium Nostrarum litterarum executionem absque ulla mora, retardatione, vel impedimento procedas, illasque exequi omnino cures, et facias; tibi que propterea plenam, et amplam facultatem ea omnia gerendi, declarandi, et decernendi, quæ in exequendis iisdem præsentibus magis in Domino expedire judicaveris, auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

§. 3. Decernentes has præsentibus litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ordinis, et quatuor monasteriorum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum

Deputatio commissarii apostolici pro executione litterarum.

Clausula sublate, et decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis.

§. 5. Volumus tamen, et harum serie declaramus, quod moniales prædictæ licet a regimine dictorum fratrum exemptæ, nihilominus gratiis, indulgentiis, et privilegiis spiritualibus alias per summos pontifices prædecessores Nostros earum ordini concessis, nec non ritu, quo in ecclesiasticis precibus usque in præsens usæ sunt, uti, ac respective frui libere, ac licite possint, et valeant.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Decernimus insuper, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima augusti, millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXXIX.

Dat. die  
17 augusti  
1781  
Anno VII.

Exemptio octo monasteriorum monialium in Hetruria existentium a gubernio, et superioritate fratrum minorum sancti Francisci.

Venerabili fratri Karolo archiepiscopo Patracensi in civitate Florentina, et dominio dilectissimi in Christo filii Nostri Petri Leopoldi regii Hungariæ, et Bohemiæ principis archiducis Austriæ, Hetruriæ sibi subjectæ magni ducis Nostro, et apostolicæ Sedis nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor, et ratio concessionis.

§. 1. Cum, sicut accepimus, octo in istis partibus reperiantur monasteria monialium ordinis sancti Francisci, unum scilicet sub titulo, seu invocatione sanctæ Ursulæ, alterum sub titulo pariter, seu invocatione sanctæ Claræ, tertium sancti Hieronymi della *Costa* Bull Rom. Tom. VI.

sta nuncupati Florentinæ diœcesis, quartum sancti Leonis de Pietrasanta Lucanæ diœcesis, quintum sanctæ Claræ Piscienensis diœcesis, sextum sancti Georgii Pratensis diœcesis, septimum sanctæ Catharinæ diœcesis Burgi sancti Sepulchri, octavum demum sub titulo, seu invocatione sancti Angeli de Chiantiano nuncupati Clusinæ, et Pientinæ invicem perpetuo canonice unitarum diœcesum, quæ quidem monasteria subsiunt curæ, gubernio, regimini, et superioritati fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum; grave autem reddatur onus iisdem fratribus gerendi curam, et gubernium dictorum monasteriorum, nec non eadem monasteria visitandi, idque animadvertentes ipsius ordinis superiores a cura, regimine, gubernio, et superioritate hujusmodi liberos esse desiderant; hinc est, quod Nos quieti, et tranquillitati tam fratrum prædicti ordinis, quam eorundem monasteriorum, ac dilectarum in Christo filiarum monialium in eis existentium paterna charitate providere volentes, memoratos fratres ordinis minorum sancti Francisci de observantia a cura, gubernio, regimine, et superioritate prædictis auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo eximimus, et liberamus, ac moniales prædictas curæ, gubernio, regimini, superioritati, et ordinariæ jurisdictioni quoad prima tria monasteria, sanctæ Ursulæ nempe, sanctæ Claræ, et sancti Hieronymi della *Costa* nuncupati venerabilis fratris archiepiscopi Florentini; quoad alterum vero sancti Leonis, scilicet di Pietrasanta nuncupati venerabilis fratris archiepiscopi Lucani; quoad alterum nempe sanctæ Claræ venerabilis fratris episcopi Piscienensis; quoad alterum sancti Georgii venerabilis fratris episcopi Pratensis; quoad alterum sanctæ Catharinæ venerabilis fratris episcopi Burgi sancti Sepulchri; quoad ultimum demum sancti Angeli de Chiantiano nuncupati venerabilis fratris episcopi Clusini, et Pientini auctoritate, et tenore prædictis pariter perpetuo, ac respective subicimus, submittimus, et subponimus.

§. 2. Quocirca fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut ad earundem præsentium Nostrarum literarum executionem absque ulla mora, retardatione, vel impedimento procedas, illasque exequi omnino cures, et facias; tibi que propterea plenam, et amplam facultatem ea omnia gerendi, declarandi, et decernendi, quæ in

Deputatio commissarii apostolici pro executione literarum apostolicarum.

exequendis iisdem præsentibus magis in Domino expedire iudicaveris, auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sur-  
blata, et de-  
cretum irri-  
tans.

§. 3. Decernentes has præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-  
trariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ordinis, et octo monasteriorum prædictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium prædictorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dei iustitiam spe-  
cialis.

§. 5. Volumus tamen, et harum serie declaramus, quod moniales prædictæ licet a regimine dictorum fratrum exemptæ, nihilominus gratiis, indultis, et privilegiis spiritualibus, alias per summos pontifices prædecessores Nostros earum ordini concessis, nec non ritu, quo in ecclesiasticis precibus usque in præsens usæ sunt, uti, ac respective frui libere, ac licite possint, et valeant.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Decernimus insuper, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alienius notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur,

quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima augusti millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXXX.

Exemptio novem monasteriorum monialium ordinis s. Dominici in Hetruria existentium a jurisdictione fratrum ordinis Prædicatorum, eorumque subiectio ordinarii jurisdictioni.

Dat. die  
17 augusti  
1781  
Anno VII.

Venerabili fratri Karolo archiepiscopo Patracensi in civitate Florentina, et dominio dilectissimi in Christo filii Nostri Petri Leopoldi regii Hungariæ, et Bohemiæ principis archiducis Austriæ, Hetruriæ sibi subjectæ magni ducis Nostro, et apostolicæ Sedis nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,  
et apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum, sicut accepimus, novem in istis partibus reperiantur monasteria monialium ordinis sancti Domini, unum scilicet sub titulo, seu invocatione sanctæ Lucie, alterum sanctæ Catharinæ Senensis, tertium sancti Jacobi de Repoli nuncupati, quartum sancti Petri martyris, quintum sanctæ Catharinæ de Burgo sancti Laurentii omnia Florentinæ diocesis, sextum sancti Clementis, septimum sanctæ Catharinæ, octavum sancti Vincentii, omnia pariter Pratensis diocesis, ac nonum tandem sancti Domini Pisanæ diocesis, quæ quidem monasteria subsint curæ gubernio, regimini, et superioritati fratrum ordinis Prædicatorum nuncupatorum; grave autem reddatur onus iisdem fratribus gendi curam, et gubernium dictorum monasteriorum, nec non eadem monasteria visitandi, idque animadvertentes ipsius ordinis superiores a cura, regimine, gubernio, et superioritate huiusmodi liberos esse desiderant; hinc est, quod Nos quieti, et tranquillitati tam fratrum prædicti ordinis, quam eorundem monasteriorum, ac dilectarum in

Ratio, et tenor concessio-  
nis.

Christo filiarum monialium in eis existentium paterna charitate providere volentes, memoratos fratres ordinis Prædicatorum a cura, regimine, gubernio, et superioritate prædictis auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo eximimus, et liberamus, ac moniales prædictas curæ, gubernio, regimini, superioritati, et ordinariæ jurisdictioni quoad quinque prima monasteria, nempe sanctæ Lucæ, sanctæ Catharinæ Senensis, sancti Jacobi de Ripoli nuncupati, sancti Petri martyris, et sanctæ Catharinæ de Burgo sancti Laurentii venerabilis fratris archiepiscopi Florentini, quoad altera tria, sancti Clementis videlicet, sanctæ Catharinæ, et sancti Vincentii venerabilis fratris episcopi Pratensis, et quoad alterum demum sancti Dominici, venerabilis fratris archiepiscopi Pisani auctoritate, et tenore prædictis pariter perpetuo subiicimus, submittimus, et subponimus.

Deputatio ex auctoris literarum.

§. 2. Quocirca fraternitati tuæ præsentibus committimus, et mandamus, ut ad earundem præsentium Nostrarum literarum executionem absque ulla mora, retardatione, vel impedimento procedas, illasque exequi omnino cures, et facias; tibi que propterea plenam, et amplam facultatem ea omnia gerendi, declarandi, et decernendi, quæ in exequendis iisdem præsentibus magis in Domino expedire judicaveris, auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariarum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ordinis, et novem monasteriorum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis

etiam derogatoriis, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis.

§. 5. Volumus tamen, et harum serie declaramus, quod moniales prædictæ licet a regimine dictorum fratrum exemptæ, nihilominus gratis, indultis, et privilegiis spiritualibus alias per summos pontifices prædecessores Nostros earum ordini concessis, nec non ritu, quo in ecclesiasticis precibus usque in præsens usæ sunt, uti, ac respective frui libere, ac licite possint, et valeant.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Decernimus insuper, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima augusti millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.



Dat. die  
17 augusti  
1787  
Anno VII.

CCCXXXI.

**Exemptio monasterii monialium ordinis b. M. v. de Monte Carmelo sub titulo s. Barnabæ in civitate Florentina existentis a jurisdictione fratrum ejusdem ordinis, et archiepiscopi jurisdictioni subiectio.**

Venerabili fratri Karolo archiepiscopo Patracensi in civitate Florentina, et dominio dilectissimi in Christo filii Nostri Petri Leopoldi regii Hungariæ, et Bohemæ principis archiducis Austriæ, Hetruriæ sibi subjectæ magni ducis Nostro, et apostolicæ Sedis nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. **C**um, sicut accepimus, in civitate, et diocesi Florentina unum reperitur monasterium monialium ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo nuncupatæ sub titulo, seu invocatione sancti Barnabæ, quod quidem monasterium subsit curæ, gubernio, regimini, et superioritati fratrum ordinis beatæ Mariæ virginis de Monte Carmelo de sancta Maria Maggiore nuncupata; grave autem reddatur onus iisdem fratribus gerendi curam, et gubernium dicti monasterii sancti Barnabæ, illudque visitandi, idque per memoratos fratres ordinis beatæ Mariæ virginis de Monte Carmelo nuncupatæ a cura, regimine, gubernio, et superioritate huiusmodi liberos esse desiderant; hinc est, quod Nos quieti, et tranquillitati tam fratrum prædicti ordinis, quam ejusdem monasterii, ac dilectarum in Christo filiarum monialium in eo existentium paternâ charitate providere volentes, memoratos fratres ordinis beatæ Mariæ virginis de Monte Carmelo a cura, gubernio, regimine, et superioritate prædictis auctoritate apostolica, tenore præsentium, perpetuo eximimus, et liberamus, ac moniales prædictas curæ, gubernio, regimini, superioritati, et ordinariæ jurisdictioni venerabilis fratris archiepiscopi Florentini auctoritate, et tenore prædictis pariter perpetuo subijcimus, submittimus, et subponimus.

Deputatio executoris literarum apostolicarum.

§. 2. Quocirca fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut ad eandem præsentium Nostrarum literarum executionem absque ulla

mora, retardatione, vel impedimento procedas, illasque exequi omnino cures, et facias; tibi que propterea plenam, et amplam facultatem ea omnia gerendi, declarandi, et decernendi, quæ in exequendis iisdem præsentibus magis in Domino expedire judicaveris, auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

§. 3. Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quacumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ordinis, et monasterii prædicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Volumus tamen, et harum serie declaramus, quod moniales prædictæ licet a regimine dactorum fratrum exemptæ, nihilominus gratiis, indultis, et privilegiis spiritualibus alias per summos pontifices prædecessores Nostros earum ordini concessis, nec non ritu, quo in ecclesiasticis precibus usque in præsens usæ sunt, uti, ac respective frui libere, ac licite possint, et valeant.

Declaratio specialis.

§. 6. Decernimus insuper, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis,

Fides habenda transumptis.



ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima augusti millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXXXII.

Dat. die  
22 augusti  
1781  
Anno VII.

Indultum concessum cohorti militum præsidiariorum civitatis Bononiensis extrahendi reos a locis immunibus, solo comitante clerico.

Dilecto filio Nostro Ignatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono cardinali Boncompagni Ludovisi nuncupato Nostro, et Sedis apostolicæ in civitate Nostra Bononiensi, ejusque comitatu de latere legato.

Pius PP. VI.

Dilcte fili Noster salutem,  
et apostolicam benedictionem.

Erectio militum, et fructus collecti pro publica tranquillitate.

§. 1. Quum non multo ante per Nostrum chirographum die vii. novembris mox elapsi anni MDCCLXXX. expeditum sibi que datum, ut civium securitati, civitatis decori, fiscalium jurium indemnitati, jurgiorum, et litium, ac criminum quorumcumque coercitioni consuleremus aliquam militum præsidiariorum manum continuo in eadem civitate retinendam decreverimus. Quumque hinc Nostræ voluntati obsequutus, præsidium militum conscripseris in tres turmas divisum vulgo, compagna, centum, et viginti militum legionariorum pro singulis turmis præter tribunum, instructorem, centuriones, signiferos, aliosque inferioris ordinis præfectos, eosque jam, et etiam uberiores fructus publica tranquillitas ex eadem militum conscriptione perceperit, ut criminum seges in dies minuatur, et multæ concertationes, ac lites, seu ex stationum propinquitate, seu ex vigiliarum frequentia prius sopiantur, quam in scelera erumpant, et otiosorum præterea exterorum incursum a civitate prohibeatur: illud Nobis cordi est ut post-

quam per milites civitatis moderationi consultum est, militum ipsorum disciplinæ consulamus.

§. 2. Cui quum graviter officeret locorum immunium frequentia ad quæ quisque miles, vel ut mandatum præfactorum eluderet, quod sibi non placeret, vel ut pœnam vitaret, vel ut socios sibi adjungeret, et signa deferre pararet confugere posset, quod in magnum recideret, et rei militaris detrimentum, et ipsius publicæ tranquillitatis perturbationem, eam facultatem sibi impartiri statuimus, quam et Nos, et prædecessores Nostri Romani pontifices dilectis filiis Nostri civitatis Nostræ Ferrariæ de latere legatis supra milites ibi conscriptos impertiti sunt, ut possent milites cum assistentia tamen clerici in locis immunibus auctoritate propria extrahere.

Memorantur inconvoda, quæ obveniunt a frequentia locorum immunium.

§. 3. Hinc circumspectioni tuæ, et quocumque milites aufugientes, seu alias delinquentes, ut præfertur, qui ab ecclesiis, et locis piis hujusmodi per te, vel alium, seu alios in dignitate ecclesiastica constitutos, occurrentibus occasionibus per te deputandos pro reverentia ecclesiis, et locis piis debita minori, quod id fieri poterit cum scandalo, et tumultu educere, vel extrahere, atque carceribus mancipare; præterea quibusdam superioribus ecclesiarum, conventuum, et monasteriorum tuæ legationi subjectorum tam sæcularibus, quam cujusvis congregationis, et instituti regularibus, ne de cætero delinquentes hujusmodi sub suspensionis ab executione suorum ordinum, ac privationis officiorum, et dignitatum inhabilitatisque ad illa, et alia imposterum obtinenda pœnis ipso facto incurrendis recipiant, prohibere, et eosdem superiores in casu contraventionis in pœnas supradictas incidisse declarare libere, et licite valeas apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, et facultatem concedimus, et impartimur.

Leges servandas in extractione faciendas.

§. 4. Non obstantibus felicis recollectionis Gregorij papæ XIV. prædecessoris Nostri super hoc edita, et quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiarum, conventuum, monasteriorum, et locorum piorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium

Derogatio contrariorum.

præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda augusti millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

### CCCXXXIII.

Dat. die  
24 augusti  
1781  
Anno VII.

Supprimuntur duo sanctimonialium monasteria, et unum monachorum ordinis Carthusianorum in civitate Moguntina existentia, eorumque bona applicantur universitati studii generalis in eadem civitate erectæ.

Venerabili fratri  
Friderico Karolo Josepho  
archiepiscopo Moguntino, S. R. I.  
principi electori.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem  
et apostolicam benedictionem

Promium

§. 1. **P**ostquam Deo placuit omnipotenti, qui ex summa misericordia, et bonitate sua vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt humilitatem Nostram ad universalis Ecclesiæ regimen vocare, ex eo tempore Nos, ejusdem adjuvante gratia, de iis præcipue curam suscipere non destitimus, quæ sicut officii Nostri ratio postulat, ad divinum ubique cultum, et ecclesiasticam disciplinam augendam, animarumque Christifidelium sollicitudini Nostræ concreditarum salutem procurandam maxime cognovimus pertinere.

Expositio præ-  
eum porrecta-  
rum ab archie-  
piscopo Mo-  
guntino.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod licet jamdiu ab anno nempe MCCCCDLXXVI. in hac tua civitate Moguntina, quæ quidem tum ob civium frequentiam, tum ob plures suas peculiare prærogativas tum præcipue ob Christianæ religionis cultum inter cæteras provinciæ Germanicæ civitates apud omnes maxime semper inclaruit

a ho. mem. Dictero, dum vixit, archiepiscopo Moguntino, ac S. R. I. principe electore decessore tuo publica studiorum generalium universitas fuerit erecta, nihilominus ob tennes redditus, quibus tunc dotata extitit jam inde a sui principio ab insito splendore declinavit, et ad hæc usque tempora prorsus collapsa jacet. Cum autem sicut eadem expositio subungebat, post tot, tantaque superioribus sæculis in aliquibus Germanicæ partibus instinctu Satanæ excitata de religione dissidia, unde miserandum in modum ita afflicta, et deformata sit, ut nemo sine lacrimis tam gravem animarum jacturam recordari, nedum intueri queat, plures apud acatholicos universitates ortæ sint, in quibus quamvis bonorum artium studia vigeant, prava tamen, et erronea doctrina specie recti in adolescentum animos eo perniciosius pervadit, quo securius serpit, hinc, ut tuis in spiritualibus, ac temporalibus subditis, ne omni vento doctrinæ circumferantur, ac etiam, ut tuæ civitatis, et diocesis commodo, et ornamento, privatorumque utilitati consulas, memoratam universitatem ad suum pristinum splendorem restituere intendis, ut nedum ea acatholicorum universitates emuletur, sed etiam illas vincat.

§. 3. Verum sicut eadem expositio Ratio concessio-  
nis. prosequatur, ut publicæ hujusmodi studiorum generalium universitatis restitutio suum perpetuis futuris temporibus sortiatur effectum, necessarium omnino sit, ut aliqua dos pro ampliori illius rectorum, magistrorum, ac lectorum sustentatione constituatur; id vero neque utilius, neque commodius confici posse ducas, quam si prævia suppressione alicujus monasterii, seu conventus in hac tua civitate, ac diocesi Moguntina existentis, quod quidem attento prægrandi illorum numero absque ullo spirituali animarum christifidelium detrimento facile fieri posse asseris, bona, redditus, ac proventus ad illud spectantes in dotem dictæ universitatis assignentur, et attribuantur; eaque propter nedum suppressionem monasterii sancti Michaelis ad Montem monachorum ordinis Carthusianorum extra mœnia dictæ tuæ Moguntinæ civitatis situm, quorum numerus vix est viginti septem, illius vero redditus ad conspicuam summam florenorum circiter septendecim millium istius monetæ ascendunt, sed etiam suppressionem duorum monasteriorum sanctimonialium, quorum alterum est ordinis

Cisterciensis de Altenmunster nuncupatum, alterum vero sanctimonialium ordinis minorum sancti Francisci conventualium sanctæ Claræ situm in foro vulgo dicto Flachsmark pariter nuncupato, ubi sexaginta moniales circiter numerantur: illorum vero redditus summam circiter viginti, et unius mille florenorum monetæ prædictæ constituent, dum Nobis omnium sanctimonialium, et monachorum prædictorum sustentationem per congrua vitalitia assignamenta præstas, honorum ad monasteria prædicta quomodolibet spectantium in publicam studiorum generalium universitatem, ut præfertur, erectam applicationem per Nos fieri summopere desideres. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica digna-

§. 4. Nos igitur suavissimos, atque uberes fructus, quos viri literarum scientia præditi in agro Dominico jugiter producant, animo revolventes, ac quam pro spiritualium, temporaliumque rerum regimine in hac vita tenebris, et ambagibus plena utilis, et necessarius sit scientiarum usus perpendentes, ac quantum Nobis ex alto conceditur, quæ dictæ tuæ civitati decori utilia fore conspicimus, favorabiliter intendentes, tibi que ex peculiari charitate annuere volentes, fraternitati tuæ, de cujus prudentia, integritate, et religione plurimum in Domino confidimus, per præsentem committimus, et mandamus, ut in primis memoratum monasterium ad Montem sancti Michaelis ordinis Carthusianorum extra mœnia hujus tuæ civitatis Moguntinæ situm, omnemque illius regularitatem, ac conventualitatem auctoritate Nostra apostolica supprimas, ac extinguas, ac suppressam, et extinctam esse declares: et subinde omnia, et singula dicti monasterii bona, tam mobilia, quam immobilia, semoventia, domos, prædia, canones, præstationes, redditus, proventus, actiones, ac quælibet jura quocumque nomine vocata, et sub quocumque genere comprehensa ad illud spectantia, et pertinentia publicæ studiorum generalium universitati in hac tua Moguntina civitate, ut præfertur, erectæ dictæ auctoritate perpetuo unias adnectas, et incorpores.

§. 5. Domum vero religiosam sic suppressi monasterii in domum ad recipiendos tuæ diœcesis parochos, qui aut exantlatis in vinea Domini labori-

bus, aut ætate fessi conferre se in otium, ac solitudinem desiderent, quique una simul cum aliis presbyteris sæcularibus ipsis arbitrio tuo adjungendis ecclesiæ dicto monasterio adnexæ inservient, omnibusque piis oneribus, quibus eadem ecclesia, seu monasterium gravatum reperitur, separatis, ac respective assignatis congruis redditibus, satisficient, auctoritate prædicta erigas, ac constituas.

§. 6. Volumus demum, et auctoritate prædicta expresse decernimus, quod monachi in dicto monasterio de præsentem existentes, quodcumque aliud monasterium sui ordinis, vel intra limites tuæ diœcesis, vel extra situm eorum superioribus benevisum, assignata tamen prius cuilibet illorum in suam alimoniam, quoad vixerint, annua præstatione arbitrio tuo, habita intentione servitiorum, quæ suo ordini unusquisque illorum præstitit, ac graduum, quibus in ea utitur, præfigenda libera prorsus, et immunis, ac qualibet immi-nutione exempta ex redditibus, et proventus alias ad suppressum, ut præfertur, monasterium spectantibus solvenda adire libere, ac licite possint, et omnino teneantur,

§. 7. Tibi insuper injungimus, ut prædicta duo sanctimonialium monasteria, de Altenmunster scilicet ordinis Cisterciensis, et sanctæ Claræ ordinis minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum situm in foro dicto Flachsmark intra mœnia tuæ civitatis Moguntinæ existentia, omnemque illorum regularitatem, et conventualitatem pariter auctoritate Nostra prædicta supprimas, et extinguas, ac suppressa, et extincta esse decernas, ac declares; sanctimoniales vero in eis professas, ut vel aliud monasterium tuæ diœcesis eis benevisum, habito tamen prius consensu superiorissæ, ac monialium monasterium, ad quod transferri cupiunt, consensu per suffragia ægreta præstando, auctoritate prædicta traducas, vel si in eodem monasterio, in quo nunc degunt, morari mavint, ut quoadusque earum numerus ad regularem disciplinam retineadam, vitæque communem observandam sufficiens reputabitur, libere, ac licite manere possint, et valeant dicta auctoritate statuas. Novitiis autem, seu tyrocinium adhuc agentibus, restituta eis dote, quæ alias dictis monasteriis in actu susceptionis habitus regularis fuerat ab eis respective soluta, ad sæcularia vota transeundi plenam, et amplam facultatem concedas. Man-

Mandatum de providendis monachis a monasterio extrahendis.

Aliud mandatum de supprimento monasterii sanctimonialium de Altenmunster, et consulendi indemnitati monialium, et novitiarum.

Mandatum de supprimento monasterii s. Michaelis et applicandi hujus ad universitatem studiorum.

Excludit de mus religiosa, que alius piis operibus destinatur.

dantes, ut de bonis, redditibus, ac proventibus ad memorata duo monasteria spectantibus, et de quibus infra, omnibus sanctimonialibus in prædictis monasteriis nunc professis, ac cuilibet illarum annua præstatio pro tuo arbitrio, ac conscientia præfigenda eis quotannis, quoadusque quælibet ipsarum vixerit, ab omni prorsus onere libera, et exempta assignetur, et omnino solvatur.

*Etiam bona horum monasteriorum applicentur universitati studiorum.*

§. 8. Bona porro omnia, redditus, proventus, actiones, ac jura quælibet quocumque nomine vocata, et sub quocumque genere comprehensa ad monasteria de Altenmunster ordinis Cisterciensis, et sanctæ Claræ ordinis minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum in foro vulgo dicto Flachsmanck prædicta quomodolibet spectantia, et pertinentia toties memoratæ publicæ studiorum generalium universitati in prædicta tua civitate Moguntina, ut præfertur, erectæ auctoritate prædicta unias, et incorpores, applices, ac appropries, et adnectas.

*Excludantur religiose domus, aliis piis usibus destinata.*

§. 9. Domum vero religiosam monasterii sanctæ Claræ una cum sua ecclesia in foro vulgo dicto Flachsmanck sitam postquam moniales nunc ibi morantes ad aliud monasterium eis benevisum, ut præfertur, erunt conmixtæ, dilectis filiis monachis ordinis sancti Benedicti monasterii sancti Jacobi hujus tuæ diœcesis, quorum religiosa domus prorsus fatiscitur, auctoritate prædicta concedas, ac dones. Domum autem religiosam alterius monasterii de Altenmunster nuncupati, quando pariter moniales illam habitantes ad aliud monasterium fuerint reductæ, in nosocomium erigi volumus, ac mandamus. Et quoniam, sicut accepimus, in parochiali ecclesia sub titulo, ac invocatione sancti Emerani præ sui amplitudine, nisi difficillime, ac ut par est, animarum cura fungi possit, propterea eidem fraternitati tuæ per præsentem committimus, ut ecclesiam dicto monasterio de Altenmunster conjunctam in parochialem instituas, assignata ejus parochia pro tempore existenti ea bonorum quantitate ad dictum monasterium spectantem, ex qua juxta sacri concilii Tridentini decreta, ac hujus diœcesis statuta, ac consuetudines debita congrua constituatur; eidemque ecclesiæ nedum nosocomium, ut præfertur, erigendum, sed etiam eam portionem curæ animarum, quam a prædicta parochiali ecclesia sancti Emerani ob nimiam sui amplitudinem dismembrare, ac sepa-

rare in Domino expedire duxeris, auctoritate prædicta subilicias, submittas, ac subponas. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam facultatem ad dismembrationem, ac separationem, ac respective unionem, et subjectionem hujusmodi conficiendam, perficiendamque faciendi, gerendi, ac exequendi, et exequi mandandi auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et impertimur.

§. 10. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

*Clausula subblata, et decretum irritans.*

§. 11. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non trium monasteriorum scilicet sancti Michaelis ad Montem monachorum ordinis Carthusianorum extra mœnia civitatis Moguntinæ, et alterum sanctimonialium ordinis minorum sancti Francisci Conventualium sanctæ Claræ situm in foro Flachsmanck, nec non sanctimonialium ordinis Cisterciensis de Altenmunster etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiam de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Derogatio contrariorum.*

Ampliatio  
mandati favo-  
re executoris  
apostolici.

§. 12. Cæterum ne aliquod in actu executionis præsentium suboritur dubium eidem fraternitati tuæ, cujus in Domino plenam fovemus fiduciam, omnem tribuimus facultatem, ut pro tui prudentia præmissa gerens, agas etiam quidquid juxta contingentes circumstantias duxeris disponendum. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima quarta augusti millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXXXIV.

Dat. die  
28 augusti  
1781  
Anno VII.

Confirmatio privilegii super impressione libri *delle Notizie*, ac ephemerides, ejusque ampliatio ad relationes quoque functionum, quæ in alma urbe peraguntur, alias concessum favore familiæ Cracas.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur  
privilegia con-  
cessa a Benedi-  
cto XIII. fami-  
liæ Cracas.

§. 1. Alias felicitis recordationis Benedicto pp. XIII. prædecessori Nostro pro parte filiorum, et hæredum quondam Lucæ Antonii Cracas exposito, quod dictus Lucas Antonius anno MDCCXVI. quemdam libellum inscriptum *delle Notizie*, nec non ephemerides publicorum nuntiorum, sub titulo = *Diarij di avvisi* = lingua vulgari Italica in alma urbe Nostra, et tunc sua evulgare coepisset, et ab inde citra, tam dictus Lucas Antonius, quam post ejus decessum illius filii, et hæredes prædicti libellum, et ephemerides hujusmodi edere, et imprimere perexissent, ipsique filii, et hæredes, illa quoque in posterum imprimi facere intendebant, verebantur autem, ne alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, libellum, et ephemerides prædictos in ipsorum exponentium præjudicium iterum imprimi facere curarent. Idem Benedictus prædecessor eorum indeunitati consulere volens, ac supplicationibus tunc ab illis porrectis inclinatus, eisdem filiis, et hæredibus, ut ad duodecim annos tunc proximos, dummodo tamen ejusmodi libellus, ac ephemerides prius a pro tempore existente sacri palatii apostolici magistro approbati essent, ne-

Boll. Rom. Tom. VI.

mo tamen urbe prædicta, quam in reliquo statu ecclesiastico prædictum libellum, et ephemerides ab ipsis usque tunc evulgatos, et in posterum evulgandos in toto, vel in parte sub eisdem, vel aliis titulis, aut aliud simile opus, seu opera sine dictorum filiorum, et hæredum, aut ab eis causam habentium speciali licentia imprimere, aut ab eis, vel aliis impressa vendere, aut venalia habere; seu proponere posset, sub certis prohibitionibus, inhibitionibus, modo, et forma tunc expressis concessit, et indulgit, ac alias prout in ejusdem Benedicti prædecessoris die xvi. decembris MDCCXXVI in simili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Vincentius Pilucchi, nuper e vita decesserit Alexander Burlini, qui alias a felicitis recordationis Clemente pp. XIII. Catharinæ Cracas ultimæ superstiti de dicta familia in coadjutorem fuerit cum omnibus dictis privilegiis deputatus, ac etiam a felicitis recordationis Clemente pp. XIV. prædecessore itidem Nostro fuerit dictum privilegium favore ejusdem Alexandri ad relationes functionum omnium, quæ in alma urbe prædicta pro tempore peraguntur extensum, et ampliatum; hinc ipse qui suam in hisce rebus operam spatio annorum viginti trium jam contulerat, idem privilegium sibi coaccedi plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et at infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur dictum Vincentium specialibus gratis, et favoribus prosequi volentes, et ejus singularem personam a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pænis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati privilegium prædictum a memorato Benedicto XIII. ad duodecim annos, ut præfertur, concessum, et a Benedicto XIV., ac Clemente XIII., nec non a Clemente XIV. prædecessoribus Nostri prædictis prorogatum ad vitam ejusdem Vincentii auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, idemque privilegium ad relationes omnium functio-

Privilegia hujusmodi migrarunt in familiam Burlini.

Extinctis hæredibus Lucæ Antonii Cracas, eadem privilegia concessa fuerunt Vincentio Pilucchi jam coadjutore deputato cum futura successione

num in dicta urbe pro tempore peragendarum, cum eisdem prohibitionibus, inhibitionibus, et sub eisdem pœnis in prædictis literis Benedicti XIII. prædecessoris contentis, et expressis, auctoritate, et tenore prædictis extendimus, et ampliamus.

Derogatio contrariarum, et fides habenda transumptis

§. 4. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ in dictis literis concessa sunt non obstando, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die  
28 augusti  
1781  
Anno VII.

CCCXXXV.

Confirmatio decreti editi a senatu Bononiensi super reformatione nonnullorum capitulorum statutorum artis piscatorum, et salarolorum ejusdem civitatis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum porrectarum ab hominibus artis piscatorum, super questionebus subortis cum hominibus artis salarolorum.

§. 1. Quoties a Nobis petitur, quod justitiæ convenire dignoscitur animo Nos decet libenti concedere, ac petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii senior, vulgo massaro, et homines artis piscatorum civitatis Nostræ Bononiensis; quod alias, nempe die xxvi. februarii MDCCLIX. alia prorsus diversa ars salarolorum nuncupata civitatis pariter Nostræ Bononiensis a dilectis filiis senatu Bononiensi annuente tunc cardinali in dicta civitate Nostra Bononiensi, ejusque comitatu Sedis apostolicæ de latere legato existente in præjudicium juris privati, quod etiam arti piscatorum in vim suorum statutorum anni 1601 latorum, ac auctoritate apostolicæ confirmatorum competeat, vendendi scilicet quam-

cumque speciem piscium, qui vel recentes essent, vel sale conditi, eosque etiam visitandi, qui in dicta civitate, vel comitatu quomodocumque venum, vel ipsis hominibus dictæ artis salarolorum adscriptis in vim sui statuti anni 1666 lati, ac auctoritate apostolica confirmati, ponebantur, impetravit decretum tenoris, qui sequitur.

§. 2. Die 26 februarii 1759 congregatis illis, et excelsis dd. reformatoribus status libertatis civitatis Bononiæ in num. xxvi. in camera emi, ac rni d. cardinalis legati in ejus præsentia, et de ipsius consensu, et voluntate inter ipsos infrascriptum partitum positum, et legitime obtentum fuit videlicet = Patres conscripti per suffragia xxv. affirmativa approbarunt infrascripta capitula per dd. vexilliferum, et senatores artibus præfectos efformata statutis artis salarolorum, et piscatorum addenda, ut vim habeant non modo declarationis statutorum utriusque artis, sed etiam, quatenus opus sit, effectum novæ legis, seu reformationis eorundem statutorum cumulativissime sortiantur: cujus declarationis, et reformationis, seu legis tenor est qui sequitur videlicet. =

Tenor decreti lati a senatu Bononiensi pro confirmatione capitulorum additorum statutis artis.

§. 3. Che sia lecito in avvenire agli nomini, ed obbedienti dell' arte de' salaroli tanto di città, che di contado indipendentemente dall' arte de' pescatori l' incettare, ritenere, e vendere tonno, o tonnina, e di più qualsisia cosa spettante, e pertinente per diretto, e per obliquo a detto membro: e per tale s' intendono il caviale, il salmone, le anchiove, i sardonî, le anquille salate, le arringhe, le saracche, il pesce cotto, il baccalà, il tarantello, il pesce solfanino, e in somma tutti i pesci secchi, e gli altri o marinati, o salati, o conci con olio, e sale. A condizione però, che i pesci da ritenersi, come sopra, dai salaroli, non s' intendano mai freschi, ma sempre, o secchi, o conci in qualche modo. Che siano portati al dazio nella pescaria, e si osservino le forme solite, e prescritte nè bandi per il pagamento del dazio. Che la competenza di ritenere, e vendere il tonno, o tonnina, ed i pesci cotti, e salati sopra espressi, e similmente il diritto della visita de' massari, dell' una, e dell' altra arte siano, e s' intendano cumulativi fra le due arti de' pescatori, e salaroli rispettivamente però agli nomini, ed obbedienti delle medesime. Con dichiarazione, che debbasi pagare l' obbedienza ad un arte sola, a quella

Tenor capituli reformati, contra præscriptorem statutorum.



cioè, a cui il bottegaro sarebbe già sottoposto in vigore del proprio suo esercizio indipendentemente dalla ritenzione, e vendita di detti generi. E con espresso ordine, e proibizione all' arte de' salaroli di non accrescere l' obbedienza in verun conto agli uomini, ed esercenti detta arte a motivo delli presenti capi dichiarati, o aggiunti come sopra, al loro esercizio. *Contrariis non obstantibus quibuscumque: ita est Joannes Bacialis prædictorum dd. reformatorum, et senatus Bononiensis pro a secretis.*

§. 4. Cum antem, sicut eadem expositio subjungebat, post reiteratas dictæ artis piscatorum adversus decretum hujusmodi quærimonia, ac mature rationum momentis, quæ pro dicta arte pugnant, perpensis, cum ex præinserto decreto ejus juribus præjudicium irrogari fuerit deprehensum; hinc memoratus senatus cum consensu, et approbatione dilecti filii Nostri moderni cardinalis in dicta civitate Bononiensi ejusque comitatu Nostri, et Sedis apostolicæ pariter de latere legati dictum præinsertum decretum die 28 junii 1781 reformare statuerunt per aliud decretum tenoris qui sequitur = Die Jovis 28 junii 1781 congregatis illis, et excelsis dd. reformatibus status libertatis civitatis Bononiensis in num. xxv. in camera emi, et rmi d. cardinalis legati in ejus præsentia, ac de ipsius consensu, et voluntate infrascript. partitum positum, et legitime obtentum fuit videlicet = Patres conscripti per suffragia xxiii. affirmativa moderarunt senatus consultum diei xxvi february anni 1759 super additione quorundam capitulorum statutis artis salarolorum, cujus moderationis tenor est sequens videlicet.

§. 5. Che ferma rimanendo a comodo maggiore della popolazione la provvidenza di detto senato consulto in quella sola parte che permette agli uomini, ed ubbidienti dell' arte de' salaroli sì di città che di contado, l' incettare, ritenere, o vendere tutti i pesci secchi, marinati, salati, o conci con olio, e sale derogando poi, e moderando il senato consulto medesimo, in avvenire tutte le persone, e segnatamente tutti gli uomini, ed ubbidienti dell' arte de' salaroli, che vorranno incettare, ritenere, o vendere li pesci suddetti di qualunque specie, o qualità, debbano riportarne la debita licenza dall' arte de' pescatori, e pagare ad essi l' obbedienza di soldi cinquanta in ciascun anno, come vien prescritto dal-

lo statuto di detta arte. In oltre, che le visite de' pesci di qualsivoglia sorta, e le attestazioni, o fedi della loro buona, o cattiva qualità, siano di privativa pertinenza del massaro, e compagni dell' arte de' pescatori; e così pure gli emolumenti, che dalle stesse visite si ricavano, abolita la cumulativa accordata all' arte de' salaroli, dovendo il giudizio di qualunque merce, o vituale esser dato da quelle persone, che ne professano il commercio, e debbono averne perfetta cognizione. Il che tutto debba inviolabilmente osservarsi sotto le pene comminate negli statuti, e ne' bandi non ostante detto senato consulto delli 26 febraro 1759, e qualunque altra legge in contrario. Ita est Philippus Manzinus illmi, et excelsi senatus Bononiæ a secretis.

§. 6. Verum cum sicut eadem expositio prosequeretur ipsi exponentes, ut hujusmodi præinsertum decretum 28 junii 1781 firmiter subsistat, et servetur exactius, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summo opere desiderent; Nos specialem ipsi exponentibus gratiam facere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censoriis, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; secundum præinsertum decretum die 28 januarii 1781 editum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 7. Decernentes præinsertum decretum, ac præsentibus literas firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros, effectus sortiri, et obtinere; sicque per quoscunque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Reformatio decreti præcepta fuit ab ipso senatu Bononiensi.

Tenor moderationis capituli additi statutis

Tenor confirmationis apostolicæ.

Clausula sublata, et decretum irritans.

Derogatio con-  
trarior um,

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit, altero præinserto decreto diei 26 februarii anni 1759 edito ad dictæ artis salariorum nuncupatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxviii augusti MDCCLXXXI, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXXXVI.

Dat. die  
5 septembris  
1781  
Anno VII.

Facultas reginæ fidelissimæ erogandi fructus beneficiorum in suis regnis existentium in pios usus de ejus arbitrio eligendos.

Venerabili fratri archiepiscopo  
Thessalonicensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,  
et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. **R**omani pontifices veluti honorum temporalium Ecclesiæ dispensatores illorum fructus huic potius, quam alteri pio opere addicere censuere, prout rerum vicibus mature perpensis in Domino salubriter expedire arbitrati sunt.

Expositio præ-  
cum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit charissima in Christo filia Nostra Maria Francisca Portugalliæ, et Algarbiorum regina fidelissima, quod plura regii juris patronatus, et domus Bragantiæ beneficia in suis Portugalliæ, et Algarbiorum regnis vacantia reperiebantur, quorum fructus, et proventus, dum vacant, in commodum, ac utilitatem futurorum in eisdem beneficiis successorum deponuntur, quos tamen, cum sicut experientia doceat, non semper a beneficiatis in opera pia, juxta sacros

Ecclesiæ canones erogentur, in alios pios usus arbitrio suo eligendos collocari posse summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur memoratæ Mariæ Tenor concessio-  
nis Franciscæ reginæ fidelissimæ piis votis annuere volentes, fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut eidem Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ fructus, ac proventus beneficiorum, nedum eorum, quæ de regio, et domus Bragantiæ jure patronatus asseruntur, sed etiam eorum, quæ sunt liberæ collationis in regnis Portugalliæ, et Algarbiorum existentium, dum vacant, collectos, et asservatos, detracta tamen illorum quantitate, quæ tum in ecclesias, tum in præscripta onera, cum etiam in sustentationem novorum beneficiorum usque ad proximam ipsis debitam fructuum perceptionem, erit impendenda in alios pios usus pro illius arbitrio, ac conscientia constituendos, stabiliendosque erogandi, ac collocandi plenam, et amplam facultatem auctoritate Nostra apostolica concedas, et impertiaris.

§. 4. Decernentes has præsentis literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula salu-  
tates, et irri-  
tantes.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac eorundem beneficiorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis

Derogatio con-  
trarior um.

in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXXXVII.

Dot. dia  
6 septembris  
1781  
Anno VII.

Conceduntur tria magisteria fratribus provinciæ Aragoniæ ordinis eremitarum sancti Augustini gradum obtinentibus in universitate Valentix, ac duo gradum obtinentibus in universitate Cerveriana.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati Nostræ nullo licet meritorum Nostrorum suffragio per ineffabilem divinæ sapientiæ providentiam commissum postulat, ut inter multiplices apostolicæ servitutis curas illam peculiari studio complectamur, per quam personæ sub suavi religionis jugo divini numinis obsequiis insistentes felicioribus in dies proficiant incrementis.

Tenor precum porrectarum.

§. 2. Expositi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Xaverius Vasquez prior generalis fratrum eremitarum ordinis sancti Augustini, quod in provincia Aragoniæ ordinis prædicti ob magnum lectorum numerum in regionibus Valentix, et Catalauniæ, ac ob valde contractum magistrorum numerum illud incommodi eveniat, quod nisi difficillime etiam illi lectores, qui in universitatibus gradum obtinent, ad magisterium perveniant. Cum autem sint eadem expositio subjungebat memoratus Franciscus Xaverius prior generalis tria magisteria pro fratribus ordinis prædicti gradum obtinentibus in universitate Valentix, duo vero pro gradum obtinentibus in universitate Cerveriana per Nos concedi summopere de-

sideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsum Franciscum Xaverium priorem generalem, ejusque ordinem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdictis, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tria magisteria pro fratribus ordinis prædicti gradum obtinentibus in universitate Valentina, duo vero pro gradum obtinentibus in universitate Cerveriana auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Declarationes speciales.

§. 4. Volentes tamen, quod in fratrum prædictorum promotione hæserentur conditiones, primo, quod religiosus, qui in universitate Valentina, aut Cerveriana provinciæ Aragoniæ lauream doctoratus obtinere desideraverit, post cursum per octo integros annos in studio philosophiæ, ac theologiæ peractum, rigoro teneatur se examini subijci. Pater provincialis, studiorum præfectus, cæterique patres examinatores, mente retinentes se judicium ferre debere non solum de eximia scientia, verum etiam de pietate Christiana candidati in academiis insignibus frequenter de suis dotibus speciem præbituri eo utentur rigore in suis sententiis explicandis per vota secreta, ut quacumque ratione humana spreta, solumque timorem Dei præ oculis habentes, conscientix suæ consulant.

§. 5. Si candidatus fuerit approbatus cum clausula, nemine discrepante, transmittetur notitia ad reverendissimum patrem generalem, ut ejus obtenta licentia valeat candidatus in universitate facere ea officia, quæ ad receptionem laureæ doctoratus sunt necessaria.

De iis qui approbati fuerunt nemine discrepante.

§. 6. Secundo: Tempus cursus, quem debet facere candidatus computetur a die, in quo primam fecerit oppositionem ad aliquam cathedram, et de hujusmodi oppositione pater provincialis, ac studiorum præfectus certiorum reddent reverendissimum patrem generalem ordinis, ut de ea judicium ferat.

De computatione temporis cursus a candidato faciendi.

§. 7. Tertio: A die, quo facta fuerit hujusmodi prima oppositio tempus duodecim annorum lecturæ, quam juxta

De computatione annorum lecturæ, pro

consequenda  
jubilatione.

constitutiones ordinis debet peragere, computetur, ut possit inseri catalogo lectorum jubilatorem, et prævia hujusmodi insertionis notitia, possit reverendissimus generalis ordinis literas magisterii expedire candidato.

De numero  
graduatorum.

§. 8. Quarto: Graduati autem in universitate Valentina erunt tres, et in universitate Cerveriana duo; et non poterunt alii hujusmodi gaudere privilegio, nisi quando unus ex tribus in universitate Valentina, vel unus ex duobus in universitate Cerveriana laureatus, vita functus fuerit.

Clausula sub-  
blata, et de-  
cretum irri-  
tans.

§. 9. Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-  
trariorum.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, ejusque provincie Aragonie etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXXXVIII.

Dat. die  
15 septembris  
1781  
Anno VII.

Erectio reclusorii pro pueris, et mulieribus otiose, ac libidinosè viventibus in oppido Montechii diocesis Camerinensis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. Inter varias ac multiplices sollicitudines, quas pro communi utilitate universæ christianæ reipublicæ Nostræ curæ divina providentia commissæ, diu noctuque suscipimus, id potissimum Nobis cordi est, ut subditorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ commodis paterna vigilantia consulamus, quod illos quasi Nostros peculiare, eximieque caros, et acceptos, ac præ cæteris dilectos filios in Nostram clientelam ac fidem receptos speciali quodam, et propria paterni amoris prærogativa complecti æquam censemus. Quare cum eos ab omni injuria, et violentia tutos, et illæsos defendere, et custodire pro viribus studeamus, omni conatu occurrendum duximus aliquorum hominum vitiositati ac malitiæ, qui inertia ac socordia pleni, nedum otiosam, sed etiam effroenem, ac improbam vitam ducentes, communem pacem, et tranquillitatem non mediocriter lædunt. Hocque consilio Nobis alias in civitate Nostra Fulginatensi, ac in oppido Nostro Hispelli Fulginatensis diocesis non sine magno fructu, Deo annuente reclusoria ad reprimendam flagitiosorum hominum audaciam, ac mulierum libidinem coercendam ereximus, ut adolescentes ac mulieres otiose, et libidinosè viventes, illuc conclusi per eorum artium exercitationes, reipublicæ etiam ipsis invitis, utiles essent.

§. 2. Cum autem non sine gravi animi Nostri molestia, nuper acceperimus etiam in provincia Marchiæ quamplures adesse homines hujus malevolentis ingenii, qui laboris impatientes dolis, et maleficiis alieno cibo vivere otiose eligunt, hinc ut huic malo occurratur, et quieti, ac indemnitati publicæ quantum in Nobis est prospiciatur, in oppido Nostro Montechii Camerinensis diocesis reclusorium, seu domum correctionis ad instar alterius in civitate Fulginatensi, ut præfertur erecti, instituire, illudque pro felici ejus statu legibus munire, ac bonis dotare decrevimus. Nos igitur, ut quos labo-

Erectio reclusorii.

ria studium non tenet, saltem pœnæ timor ab otio deterreat, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine in memorato oppido Montechii Camerinensis diocesis domum, seu reclusorium, in quo adolescentæ otiose, ac libidinose viventes claudendi, et custodiendi sint, ut in eorum artium exercitationibus, quæ juxta cujusque idoneitatem magis aptæ, ac congruentes comperiantur, suas operas impendant perpetuo erigimus, et constituimus, et pro ejus reclusorii, seu domus correctionis sic a Nobis creatæ, et constitutæ felici ac prospero regimine, et gubernio leges in sequentibus capitulis contentas præscribimus, atque statuimus, quorum tenor est qui sequitur, videlicet.

De protectora reclusorii.

§. 3. I. Che monsignor tesoriere generale di Roma pro tempore debba essere il protettore immediato, e soprain-tendente generale di questo nuovo stabilimento con privativa giurisdizione, come specialmente incaricato da Noi ad invigilare, che l'esecuzione sia diretta a quello scopo di vero bene pubblico, a cui tendono le Nostre paterne mire, accordando a detto monsignor tesorier generale pro tempore la facoltà di delegare in suo luogo, e vece in tutto ciò, che riguarda l'esecuzione del Breve monsignor governatore generale della Marca, o suo auditore, colla totale dipendenza però dal medesimo monsignor tesoriere.

De presiden-tia pro nego-aliis pia domus.

§. 4. II. Che la soprintendenza a tutti gli affari di questa pia casa di correzione e lavoro, si conceda alla deputazione de' poveri, già stabilita in Montecchio, e composta di quattro cittadini, cioè due eletti dal pubblico consiglio, e due dalla società georgica di detto luogo, e di un segretario già scelto dalla medesima deputazione, unitamente al rettore, ed al camerlengo del reclusorio. I deputati peraltro dovranno incaricarsi gratis e per carità di questa incombenza e pia disposizione.

De munere rectoris, aliorumque deputatorum.

§. 5. III. Che i riferiti quattro deputati, rettore del reclusorio, camerlengo, e segretario formino con voto ancora deliberativo una specie di congregazione, da cui debbano risolversi e decidersi a voti segreti tutti gli affari del reclusorio senz'altra dipendenza, che da monsignor tesoriere generale pro tempore.

Declarationes circa munus rectoris.

§. 6. IV. Che la direzione economica di detto reclusorio si dia ad un ecclesiastico rettore zelante e capace, da eleggersi dai deputati dei poveri coll'approvazione, o sia conferma di mon-

signor tesoriere generale pro tempore

§. 7. V. Che il rettore del reclusorio sia obbligato di eseguire tutti quei regolamenti, e provvedimenti, che saranno fissati dalla detta congregazione, e che il segretario della detta deputazione nelle congregazioni, e congressi debba tener registro di tutte le deliberazioni che si prenderanno, ed eseguire tutto ciò, di cui verrà incaricato dalla deputazione.

De executione decretorum la-torum a congregazione.

§. 8. VI. Che nei casi di differenza di sentimenti, debba eseguirsi quello, che avrà la pluralità di voti, ma qualora si tratti di risoluzione di molta importanza, e che tre componenti della congregazione siano contrari alla risoluzione, che gli altri quattro vogliono prendere, in tal caso si senta l'oracolo di monsignor tesoriere generale pro tempore, i di cui ordini dovranno onninamente eseguirsi.

De majorum suffragiorum numero sequendo in deliberationibus.

§. 9. VII. Che la deputazione, e congregazione suddetta debba eleggere, e deputare un abile ed attento computista, il quale debba tenere il libro mastro dell'entrata ed esito del reclusorio, debba registrare i conti, che in fine di ogni anno, approvati che saranno dalla congregazione, dovranno darsi dal rettore, e camerlengo del reclusorio rispettivamente; debba tenere tutte le giustificazioni occorrenti per base e fondamento del medesimo libro mastro, e finalmente debba formare i ristretti, che in fine di ogni anno si dovranno trasmettere a monsignor tesoriere generale pro tempore.

De ratiocinato-ri ejusque munere.

§. 10. VIII. Che in fine dell'anno il rettore pro tempore debba presentare alla deputazione un ristretto dimostrativo delle spese fatte, e delle robe lavorate pel reclusorio per poterne rilevare il vero stato attivo, e passivo del luogo pio; e trovando la deputazione, che l'amministrazione cammini a dovere, debba in tal caso accordare il soldo al rettore, dopo averne fatto rivedere i conti dal computista del reclusorio.

De redditione rationum a rectore præbenda.

§. 11. IX. Che lo stesso metodo debba eseguirsi riguardo al camerlengo del reclusorio, il cui incarico sarà quello di esiggere le rendite del reclusorio e di fare i pagamenti, de' quali con ordini sottoscritti dalla maggior parte dei deputati de' poveri verrà incaricato.

De redditione rationum præbenda a camerario.

§. 12. X. Che la stessa deputazione in fine di ogni anno debba trasmettere a monsignor tesoriere generale pro tempore una esatta dimostrazione dello stato di detto reclusorio, con rendergli con-

De relatione facienda præ-sens thesaurario status reclusorii.

to degli inconvenienti accaduti, e degli ostacoli che s' incontrano, affinchè egli possa renderne conto a Noi, e Nostri successori, ed implorarne quei provvedimenti che si crederanno opportuni per il buon regolamento e per l' avanzamento di questa pia istituzione.

De episcopi  
diocesani iurisdictione.

§. 13. XI. Che in quanto al morale, e in tutto ciò che meramente riguarda lo spirituale di detto luogo pio debba appartenere la cura al vescovo diocesano, in conformità della disposizione del sacro concilio di Trento ai capitoli viii., e ix. della sessione xxii. de reformat.

De numero  
puerorum admittendorum.

§. 14. XII. Che questo pio stabilimento si cominci a poco, a poco, cioè con un numero di 12. ragazzi per vedere nel dettaglio dell' esecuzione gli ostacoli, ed inconvenienti, che s' incontrano, e per potervi apportare più facilmente gli opportuni compensi, salvo poi di accrescerne il numero in appresso.

De victu, et vestibus puerorum.

§. 15. XIII. Che a detti ragazzi forzati si dia un vitto, e vestito simile a quello, che hanno attualmente i cattivi del reclusorio di Foligno.

De muneribus puerorum.

§. 16. XIV. Che per ora e provvisoriamente s' impieghino detti ragazzi forzati a pettinare, raffinare, filare, e tessere le canape, e lini, fino a che sarà maturato un miglior sistema, con cui possono occuparsi in altri lavori più lucrosi, ed in specie nelle tele fine coloro che avranno maggior talento e capacità.

De brachio sa-  
culari preben-  
do pro carcera-  
tione puerorum.

§. 17. XV. Che il tribunale di Montecchio debba dare il suo braccio alla prenominata deputazione de' poveri, per far catturare que' poveri oziosi, vagabondi, e discoli, che la medesima deputazione, dopo aver prese le opportune informazioni, crederà meritevoli di correzione pubblica.

De iis qui reci-  
pi debeant in  
reclusorio.

§. 18. XVI. Che la detta casa di correzione sia obbligata a ricevere quei discoli, che saranno condannati dal tribunale laico, ed ecclesiastico di Montecchio per doversi essere rinchiusi, come ancora quei ragazzi, che o dalla curia vescovile di Camerino, o dal governo generale della Marca vorranno farsi rinchiusere per giusti motivi in detta pia casa, purchè però la medesima curia vescovile, ed il governo generale facciano pagare al reclusorio dai parenti di tali ragazzi, che non siano, o di Montecchio, o del suo territorio un mezzo paolo il giorno a testa per il loro mantenimento.

De iis qui a pa-

§. 19. XVII. Che la medesima ca-

sa di correzione sia obbligata eziandio di ricevere quei ragazzi di cattiva vita, che dai loro parenti vorranno castigarsi per giusti motivi dei quali la deputazione dovrà riscontrare la verità e sussistenza con un diligente esame ed inquisizione per prevenire ed impedire, che alcun ragazzo vi sia rinchiuso per secondo fine d' odio, od interesse.

rentibus affe-  
rantur.

§. 20. XVIII. Che i parenti di tali ragazzi, che vi si racchiuderanno siano tenuti pagare alla medesima casa un mezzo paolo al giorno a testa, come si pratica a s. Michele in Roma, e per parenti di tali ragazzi s' intendono il padre, o madre, ed in mancanza di essi i fratelli, e cugini fino al terzo grado inclusivamente, affinchè ognuno abbia qualche stimolo d' invigilare alla buona condotta de' suoi consanguinei.

De salario sol-  
vendo a paren-  
tibus.

§. 21. XIX. Che la deputazione debba invigilare, affinchè i fatti poveri oziosi ed infingardi non usurpino l' elemosine dovute ai veri poveri inabili, ed incapaci di lavorare, e trovando simili accattoni pigri, i quali quantunque sani e robusti si siano messi ad esercitare il pernicioso mestiere di vagare elemosinando, la medesima deputazione li faccia catturare, e rinchiusere nella casa di correzione per forzarli a quel genere di lavoro di cui potranno esser capaci.

De iis qui si-  
ne causa quon-  
dam faciunt.

§. 22. XX. Che sia in arbitrio della deputazione di rilasciare in libertà quei forzati condannati dai tribunali suddetti, che avranno finito il tempo della loro condanna, e gli altri che avranno dato saggio, e sicuri indizj del loro pentimento ed emendazione, dovendo esser cura della deputazione di non lasciare uscire alcun discolo se prima i di lui parenti più prossimi non si saranno obbligati a rispondere della sua buona condotta in avvenire, o se prima la medesima deputazione non abbia trovato il modo d' impiegarlo utilmente, e di assicurarsi in qualche modo della sua miglior condotta.

De dimissione  
damnatorum.

§. 23. XXI. Che la deputazione, e rettore di detto reclusorio, debbano adoperare ogni mezzo per procurare che detti forzati per quanto è possibile guadagnino tanto col loro lavoro, da poter supplire alla spesa del loro scarso vitto, e vestito, al quale effetto detta deputazione il dì 31. dicembre di ogni anno debba eleggere due de' più onesti, ed intelligenti mercanti (salva l' approvazione di monsignor tesoriere generale pro tempore) i quali debbano aver luogo, e voto consultivo solamente nelle adunanze della deputazione, come consi-

De adigendis  
reclusis ad vi-  
ctum sibi ex  
labore compa-  
randum.



glieri sopracciamati, allorchè si tratta di regolare, e fissare i lavori più utili e vantaggiosi al reclusorio, e che detti mercanti debbano assistere, ed ajutare il rettore pro tempore non tanto per la buona direzione delle rispettive lavorazioni, quanto ancora per lo spaccio pronto, e più vantaggioso delle robbe lavorate nel reclusorio.

De dono adquirenda pro electione reclusorii cum horto.

§. 24. XXII. Che per stabilire il suddetto reclusorio, ossia casa di correzione, e di lavoro, debba farsi acquisto dalla deputazione de'poveri di una commoda casa ed orto, e di altre case ancora confinanti, qualora il bisogno lo richiedesse, e per un tale acquisto, come ancora per ridurre detta casa, o case ad uso di reclusorio, e per la provvista de'mobili, stigli, filarelli, telari, canape, lini ec. debba farsi uso dei seguenti assegnamenti, cioè

De suffragiis faciendis in vim testamenti Ulissis Serpietri.

§. 25. XXIII. Che si eroghino per compra della suddetta casa, o case i scudi seicento, i quali rimangono in mano dell'arciprete don Liborio Santalucia per disposizione testamentaria di Ulisse Serpietri, e che dovevano impiegarsi per elemosina di tante messe, con l'obbligo però al suddetto reclusorio di far celebrare ogni anno a sue spese nella chiesa collegiata un anniversario perpetuo in suffragio dell'anima dello stesso Ulisse Serpietri, non ostante il di lui testamento, o qualunque altra disposizione, che faccia in contrario, a cui per questa parte solamente s'intenda pienamente derogato.

De contributionibus faciendis a diversis locis piis.

§. 26. XXIV. Che per lo stesso effetto i seguenti luoghi pii debbano contribuire *pro unica vice tantum* le seguenti somme, cioè = l'altare del Buon Consiglio, ossia della Madonna della Consolazione scudi otto = la compagnia del Suffragio scudi dieci = la compagnia del santissimo Sacramento scudi dieci = il monastero della Pace scudi cinquanta = il convento de'padri Agostiniani scudi sessanta = la congregazione de'padri Filippini scudi quaranta = il convento dei padri minori Conventuali scudi trenta = il monastero di santa Chiara scudi quaranta = il monte frumentario della compagnia di sant'Antonio di Padova rubbia otto di grano = il monte frumentario di santa Maria in Paternò rubbia quattro e mezzo = ed il monte frumentario della chiesa di san Carlo rubbia tre, e coppe quattro parimenti di grano.

De suppressione montium frumentarium.

§. 27. XXV. Che per il suddetto effetto dell'erezione del reclusorio debbano restare interamente soppressi i monti frumentarij della compagnia de'

Disciplinati = della compagnia di sant'Antonio abate, = e della compagnia del Crocefisso fuori di Montecchio, e che perciò tutto il grano esistente in detti monti frumentarij appartenga interamente in piena proprietà del suddetto reclusorio per farne la vendita, ed erogarne il denaro per l'effetto suddetto.

De redditibus sodalitorum applicandis reclusorio.

§. 28. XXVI. Che s'impieghino per lo stesso effetto tutti i sopravanzi, che si troveranno in essere, o nelle rispettive casse, o in mano de' ministri al di della soppressione delle sette compagnie, delle quali si parlerà in appresso.

De suppressione sodalitorum.

§. 29. XXVII. Che per mantenere la suddetta casa di correzione, ossia reclusorio restino interamente soppresses le seguenti compagnie cioè = la compagnia del Confalone = la compagnia di san Giuseppe = la compagnia del santissimo Crocefisso e Rosario fuori le mura = la compagnia di sant'Antonio abate = la compagnia della santissima Trinità = la compagnia de' Disciplinati, e la compagnia del Rosario = e che, tanto i beni stabili, mobili, e crediti, oratorii, quanto l'annue entrate di dette venerabili compagnie appartengano in avvenire in piena proprietà e dominio del nuovo reclusorio, al quale peraltro incomberà il peso di soddisfare agli obblighi fissi, e perpetui, e legati pii che si troveranno annessi alle suddette compagnie derogando a questo effetto ad ogni, e qualunque disposizione testamentaria, o obbligazione in qualsivoglia modo assunta, bolle, costituzioni, brevi, decreti ec. che facciano in contrario.

De aliis contributionibus annualibus faciendis a locis piis.

§. 30. XXVIII. Che debbano similmente contribuire ogni anno in perpetuo per il mantenimento di detta pia casa i seguenti luoghi pii l'infrascritte somme, cioè l'altare del Buon Consiglio, ossia della Madonna della Consolazione, e san Niccolò di Tolentino scudi quattro = il monastero della Pace scudi ottanta = il convento de'padri Agostiniani scudi centocinquanta = la congregazione de'padri Filippini scudi quaranta = il convento de'padri Conventuali scudi trenta, ed il monastero di santa Chiara scudi quaranta, derogando perciò a qualunque bolla, costituzione, breve, rescritto, decreto ec., che possa fare in contrario, quali per questa parte solamente, e per l'effetto suddetto restino annullati, e cassati, e come non fossero mai emanati.

De auxilio e-  
genis praebe-  
do.

§. 31. XXIX. Che sia lecito, ed in libertà della deputazione de' poveri di somministrare il lavoro ai poveri eziandio di buona volontà, sempre però a beneficio del reclusorio, ed in quel genere di manifattura che verrà introdotta nel medesimo reclusorio. Confidando nello zelo, e nella pietà de' soggetti incaricati all'esecuzione del presente piano, che essi vorranno darsi tutta la maggior premura per la felice riuscita di un così salutare, e necessario stabilimento, accordando la facoltà alla prelodata deputazione di avanzare per il canale del pre nominato monsignor tesoriere generale pro tempore quelle ulteriori proposizioni, e provvedimenti che crederanno opportuni per fare il maggior bene, e particolarmente per fissare stabilmente un savio regolamento, che tenda a sollevare i veri poveri, ed a mettere in attività le braccia oziose, e disoccupate per far prosperare l'agricoltura, le arti, e le manifatture.

Confirmatio  
apostolica sta-  
tutorum.

§. 32. Præsertim igitur leges, et ordinationes a Nobis pro recto ac felici gubernio, et prospera directione reclusorii, seu domus præfatæ præscriptas et constitutas, aliaque in eisdem capitulis pro illius conservatiõe, et mantentione contenta, et expressa ab omnibus et quibuscumque cujusvis status, gradus, et conditionis ac dignitatis existant, semper et perpetuo observandas, et exequendas esse motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus statuimus, et mandamus. Quocirca Nos dilecto filio magistro Antonio Lante in utraque Signatura Nostro referendario, ac in civitate Nostra Maceratense, ejusque districtu gubernatore, de cujus prudentia, fide, religione, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, quancumque necessariam et opportunam ad præmissa omnia, et circa ea quæ ad prosperam harum præsentium executionem pertinent, ut authore Domino reclusorium prædictum erigatur, et instituatur, faciendi, gerendi, dicendi, et exequendi, ac exequi mandandi facultatem motu, scientia, ac potestate paribus tribuimus, et impertimur.

Clausula su-  
blata, et deinceps  
tunc irritans.

§. 33. Decernentes easdem præsentis literas, et omnia in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, eisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, aut auditi fuerint, seu ex alia quavis causa, colore, ac prætextu nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis,

seu nullitatis vitio, aliove quolibet etiam magno et substantiali defectu notari, impugnari, et in controversiam revocari nullatenus posse, sed semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere et fore, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri, et obtinere debere; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiti debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 34. Non obstantibus præmissis, ac quorumcumque testatorum, fundatorum, et piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, et quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio con-  
trariorum.

CCCXXXIX.

Dat. die  
15 septembris  
1781  
Anno VII.

Derogatio confirmationis capituli generalis fratrum militum hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, nuper habiti quoad celebrationem capitulorum provincialiam.

Dilecto filio magno magistro hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem,  
et apostolicam benedictionem.

Expositio pre-  
cum.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, ac omnes capitulares linguæ, et prioratus Germaniæ istius hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, quod in postremo capitulo generali alias annis nempe MDCCLXXVI, et MDCCLXXVII. in conventu dicti hospitalis habito, inter cætera statuta, seu stabilimenta, ac ordinationes capitulares auctoritate apostolica per Nostras literas die xx. julii anni MDCCLXXVIII. sub plumbo datas confirmata sub titulo sexto capituli in ordinatione decima octava cautum, præscriptumque reperitur, ut in omnibus prioratibus septem linguarum dicti hospitalis capitula provincialia a secunda dominica mensis junii usque ad diem festum sancti Joannis Baptistæ patroni ejusdem hospitalis in posterum celebrentur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat capitulares prioratus prædicti tunc ad alia operam navent, uni quippe castra sequuntur, alteri de suarum respective præceptoriarum, seu commendarum fructibus, quas per se ipsos administrant, colligendis circumoccupantur, nonnulli demum illarum reddituum exactionibus præsent, ideoque ea anni tempestate assemblea capituli provincialis haberi nequeat; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concess-  
ionis.

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum

nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi eisdem exponentibus in assemblea capituli provincialis dicti prioratus Germaniæ convocationibus id, quod ante memoratum proximum capitulum generale juxta ordinationem decimam septimam tituli sexti capituli sancitam in antecedenti capitulo generali anno MDCXXXI. habito, adhibebatur, auctoritate Nostra apostolica concedendi, et indulgendi plenam, et amplam, facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quod prædictum prioratum dicta ordinatione decima octava tituli sexti capituli, aliisque dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus; privilegiis quoque, indulgentiis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die vicesima quinta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio eorum  
triorum.

CCCXL.

Dat. die  
6 novembris  
1781  
Anno VII.

Congregationi Lusitanæ ordinis b. M. v. de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum communicantur privilegia, et exemptiones, quibus fruebatur antequam dismembraretur a superiori- tate prioris generalis totius ordinis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio pre-  
cum.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus a Jesu Maria prior generalis ordinis fratrum b. M. v. de Monte Carmelo nuncupatorum excalceatorum congregationis Lusitanæ, quod cum alias felicis recordationis Clemens pp. XIV. prædecessor Noster per suas literas in simili forma Brevis die xxviii. aprilis anni MDCCLXXII. expeditas prævia dismembratione, et exemptione congregationis prædictæ ab auctoritate superioris exteri in congregationem erexerit, ac ultra facultatem eligendi superiores, et condendi leges ad perfectiorem regulæ observantiam nihil aliud concesserit; hinc memoratus exponens ad omnes dubitationes tollendas, quæ circa privilegia, et indulgentias, quibus fratres hujus novæ sic erectæ congregationis ante separationem, et exemptionem prædictam gaudebant, et potiebantur quotidie exoriuntur; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis  
tenor.

§. 2. Nos igitur specialem ipsi exponenti, ac fratribus congregationis prædictæ gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et penis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictæ congregationis sic, ut præfertur, erectæ, illiusque ecclesiis, ac fratribus nunc, et pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis privilegiis, favoribus, gratiis, et indulgentiis, exemptionibus, et indultis, quibus eadem congregatio, illiusque ecclesiæ, ac fratres ante dismembrationem, separationem et exemptionem prædictam uti, frui, ac gaudere libere, ac licite possint, ac valeant in omnibus, et per omnia perinde ac si

privilegia, favores, gratiæ, indulgentiæ, exemptiones, et indulta hujusmodi ipsi congregationi post snam separationem, et exemptionem prædictam, illiusque ecclesiis, ac fratribus specialiter concessa reperirentur auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

§. 3. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula subla-  
ta, et decre-  
tum irritans.

§. 4. Non obstantibus constitutio-  
nibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ congregatio-  
nis Lusitanæ etiam juramento, confirma-  
tione apostolica, vel quavis firmitate alia  
roboratis statutis, et consuetudinibus;  
privilegiis quoque, indultis, et li-  
teris apostolicis superioribus, et per-  
sonis sub quibuscumque tenoribus, et  
formis, ac cum quibusvis etiam de-  
rogatarum derogatoriis, aliisque ef-  
ficacioribus efficacissimis, ac insolitis  
clausulis, irritantibusque, et aliis  
decretis in genere, vel in specie, ac  
aliis in contrarium quomodolibet con-  
cessis, approbatis, et innovatis. Quibus  
omnibus, et singulis illorum tenores  
præsentibus pro plene, et sufficienter  
expressis, ac de verbo ad verbum inser-  
tis habentes, illis alias in suo robore  
permansuris, ad præmissorum effectum  
hac vice dumtaxat specialiter, et ex-  
presse derogamus, cæterisque contrariis  
quibuscumque. Datum Romæ apud san-  
ctam Mariam majorem sub annulo pi-  
scatoris die sexta novembris millesimo  
septingentesimo octuagesimo primo,  
pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio con-  
trariorum.

CCCXLI.

Dat. die  
16 novembris  
1781  
Anno VII.

Confirmantur constitutiones monachorum ordinis s. Pauli primi eremitæ congregationis Lusitanicæ.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Præmium

§. 1. **E**x injuncto Nobis divinitus pastoralis officii debito illa, quæ pro felici, prosperoque regimine, ac gubernio ordinum regularium in Ecclesia Dei erectorum provide ac prudenter constituta fuisse dignoscantur, ac firma semper, atque inviolata persistent, libenter cum id a Nobis petitur, apostolici muniminis Nostri præsidio roboramus.

Expositio præcæm.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii monachi ordinis sancti Pauli primi eremitæ fundatoris congregationis Lusitanicæ, quod pro recto gubernio, ac regimine ordinis, et congregationis prædictorum nonnullæ regulæ, seu constitutiones expletæ, et absolutæ fuerunt, quarum quidam regularum seu constitutionum tenor est, qui sequitur.

Tenor constitutionum seu regularum.

§. 3. Nulla sicuti bene ordinata res publica invenitur, aut inveniri potest, quæ proprias accommodasque tam communi, quam peculiari populi, cujusque suæ ditionis bono leges non habeat; nulla etiam ne cogitatione quidem, religiosa congregatio fingi potest, quæ peculiare constitutiones, legesque non servet, e quarum observatione, exercitationeque, et commune congregationis bonum, et subditorum illam componentium pendeat felicitas.

Sancte per annos aliquot congregatio nostra eremitarum primorum duorum Ecclesiæ sæculorum morem est imitata, qui dum cordibus tamquam tabulis, quas servabant, leges insculpunt, scriptas leges nullas habeant.

Memorantur instituta ordinis.

§. 4. Nostra isthæc congregatio ex aca pro lege insculpta corde promptam abedientiam, innocentem castitatem, ac voluntariam habuit paupertatem: primæ ejusdem fuere occupationes inter diu, noctuque sæpius orare: frequentius jejuniis, dorisque afflictationibus in corpus animadvertere: silentium, ac clausuram sancte servare: statutis horis Deum alterue divinum officium, vel recitando, vel cantando, laudare: ac tandem aliorum calamitatibus, ærumnisque subvenire. Cæterum congregationum aucto numero, prudenterque et

illud animadverso, quod postquam sanctus Pachomius duabus in tabulis e manu angeli leges ipsius vitæ rationi accommodas, ut fertur, accepit; congregationes etiam omnes eremiticæ, ac religiosæ illius ad exemplum proprias condere leges cœperunt; primis id Ecclesiæ temporibus venerabilibus adprobantibus episcopis, ac deinde Sede apostolica statutum etiam inter Nos fuit jam ab anno MDCCXXXVI. constitutiones condere, quæ ab eminentissimis Nostris prælatis diversis temporibus fuerunt adprobatae. Cum vero magno semper a Nobis in honore habendus fundator Noster R. P. Balthassar ab Incarnatione hujusmodi legum collectioni ultimam manum ponere vellet, leges quidem alias restituit, ac pristinam aliarum severitatem mitiori modo temperavit; id tamen laboris ad probatum non vidit: a mortali enim hac interim ad cœlestem vitam, ut pie credimus, translatus, virtutum, laborumque suorum præmium accepit. Hac igitur de causa congregatio ad eminentissimum ac reverendissimum dominum cardinalem patriarcham d. Ferdinandum De Souza et Sylva recurrit, qui demum exactis perpendens temporibus, majorique munio-rum superventorum numero, præcepit, ut ex omnibus tam veteribus, quam præsentibus congregationis legibus, quidquid ejusdem finis, ac institutioni idoneum maxime censeretur, in unum colligeretur, quo ipse, quod optimum visum esset statueret.

§. 5. Hujus ergo congregationis finis est: perfectionis propriæ accurata industria et cura: populos inter, missionum ministerio adhibito Dei verbum disseminare: in eisdem, quo carceribus addictorum, egenorumque omnium subveniatur ærumnis, charitatis sodalium erigere: quibuscumque id petierint, exercitia spiritualia præbere, ac victus interea necessaria subministrare, sine ulla spe præmii aut grati etiam animi significatione: confessionarium habere in quod, e publica via ingressus pateat, quo noctu peccator quilibet, quin a confessario agnosci possit; peccata sua possit confiteri: sacramenta ministrare, ac morti proximis assistere; nullos habere redditus, sed universim omnes emendicato cibo vivent, nec aliud præter conventum, eique adjunctum hortum possidebunt.

Declaratur  
qualis sit finis  
congregationis.

Cæterum has constitutiones congregatio exponit aliquibus adjunctis, quæ experimento didicit haud peritum instituti, quod profitetur, exercitium faci-

lius redditura; si vero eadem ab eminentissimo, et reverendissimo domino cardinali patriarcha probabuntur, tum presentis congregationis viri, quam qui in futurum eidem nomen dederint, divino adjuti auxilio, ex quo bona omnia emanant, eadem servare satagent, quantum humana potest fragilitas.

Jam vero has constitutiones, quo majori earundem claritati, notioni, ac exercitio consulamus, tres in partes dividimus: prima de virtutum exercitio aget: secunda de spirituali ac temporali congregationis regimine: tertia demum de pœnis multisque congregatis indicendis, qui easdem adversus leges, ac constitutiones deliquerint. Illud vero maxime animadverti debet, quæ licet hæc leges, constitutionesque exacta admodum cura, ac diligentia servari debeant; nostra tamen intentio non est, ut grave, aut læve peccatum importent in iis, quæ ad Dei, aut Ecclesiæ præcepta non attinent, aut substantialia vota, sacrorumque canonum sanctiones, aut diœcesis constitutiones non offendunt.

## PARS I.

### De virtutum exercitio.

#### CAPUT I.

##### De voto obedientiæ.

De voto obedientiæ.

§. 6. 1. Quilibet e congregatis nostris novitatus sui fine, cum tandem in congregationem fuerit adscitus sese Deo tribus votis = obedientiæ, paupertatis, et castitatis dicabit. Obedientiam accurate, et prompte servabunt, dumque superioribus obedient illud animadvertant, non ipsorum in illis, quæ præcipiunt, satis facere voluntati, sed Dei cujus superiores vices gerunt. Meminerint ergo Jesum Christum Dominum nostrum perfectissimum obedientiæ exemplar fuisse ad mortem usque, ac in omnibus æterni Patris satisfecisse voluntati, qui ipsum in mundum quo homines redimeret, misit. Hoc præ oculis exemplo habito nullum grave erit præceptum, nihil intollerabile.

2. Devotam voluntatem minimo etiam superiorum nutui, indicioque manifeste ostendant tam exterioribus, quam interioribus in actionibus, ac si propriam non haberent voluntatem; omnia vero agent ad ipsorum arbitrium, et juxta eorundem præceptum, et vel

literulam incoeptam relinquunt, et quidquid aliud, illico ac obedientiæ vox ad illorum cordis januam pulsaverit.

3. Quodvis adversus eximiam hanc virtutem delictum prompte pro culpæ modo punietur; quod si superiori publice parere recusabunt, et cum aliorum offensione, ni illico eidem satisfaciant, culpam execrentur, et salutarem postulent pœnam; graviori pœna punietur, uti suo loco dicendum erit; quo hujusmodi supplicii timor congregatos reliquos indebita erga superiores obedientia contineat, eorumque vocem attente venerentur. Hujus virtutis accuratam observationem majorem in modum commendamus, quippe quæ religiosarum aliarum virtutum corona est, et ex qua communitatum pax, et conservatio pendet.

#### CAPUT II.

##### De paupertate tam in communi quam in particulari.

§. 7. 1. Quoniam qui evangelicam vitæ rationem exercere debent, in omnibus etiam sequi, ac imitari debent apostolos, quibus divinus magister injunxit, ne pecuniam, ne duas tunicas haberent: lege cavemus, et statuimus, quo melius sancta servetur paupertas, ut congregatorum nostrorum nullus, ullas vel penes se, vel penes alios pecunias aut habeat, aut possideat, et bona quævis hæreditatis titulo habere non possit; verum quidquid eleemosynæ nomine tam in communes quam in privatos usus fuerit oblatum, accipere poterunt; ita tamen acceptis rebus non utentur sine facultate superioris, qui si æquum censebit, hanc facultatem concedet. Quod si eleemosynæ titulo acceptum pecuniæ erunt in arca depositorum asserventur, ac inde extrahantur ad necessaria emenda, dummodo id ante superior sciat, ac ipse postea rem emptam videat. Hac tandem utentur dum fuerit ab obedientia permissum, quippe qui dominium non habent, sed usus tantum ipsis cum dependentia permittitur.

2. Non magis communis, quam privata cujusque paupertas necessaria est. Statuimus igitur, ut congregatio nostra mendicatis omnibus vivat, neque aliud præter domum, ac hortum adjunctum possideat. Nullam capere poterit hæreditatem, nec cappellas administrare; illasque tantum accipere poterit eleemosynas, quæ in communitatis usus

De paupertate tam in communi, quam in particulari.



erunt insumendæ; nullo unquam tempore novitii admittentur ob lucrum (ordinariis exceptis expensis); quique e nostris sacris ordinibus erunt initiandi, paupertatis et communis victus titulo ad sacros ordines erunt promovendi. Majorem in modum superioribus commendatum volumus, ut hujus capituli accurent observationem, pœnisque in delinquentes animadvertant, uti suo loco dicemus.

## CAPUT III.

*De castitate.*

De castitate.

§. 8. 1. Eximia hæc virtus illa est, quæ beatis mentibus homines similes reddit, cum puritatis amor, vigilantia, diligentia, ac sensuum refrœnatio, rebellibus naturæ cupiditatibus, carnisque stimulis violentis modum, ac legem imponunt. Hæc igitur de causa sibi congregati nostri caveant attente, sanctamque castitatem nedum corpore, sed etiam spiritu illibatam conservent; neque a se, propriisque viribus carnis expectent victoriam; sed ab Spiritu Sancti gratia, sine qua nullum, aut sanctum, aut perfectum opus dici potest.

2. Illud animadvertant, quod virtutes cæteræ exercitio adquiruntur; hæc vero occasiones remotas etiam fugiendo. Sedulo etiam attendant, neminem hæc in parte propriis fidere debere viribus; quamplurimi enim sanctissimi antea viri hoc veluti fulmine ambusti cupiditatibus cessere: mille enim horis singulis occasiones occurrunt; totque pene laquei sunt, quot passus hominis. Quapropter quamcumque cum fœminis familiaritatem, confabulationemque vetamus (ni mater sit aut soror), sique aliquam alloqui aut invisere opus erit, breviter id ac modeste fiat, ac cum superioris facultate; sociusque interea quantum locus, ac fœminarum colloquentium dignitas ferit, ad unam actionem omnes observet. Quamplura alia ad hujus eximie virtutis custodiam necessaria harum constitutionum decursu afferentur; quorum jam hinc, valde observationem commendamus.

## CAPUT IV.

*De humilitate.*

De humilitate

§. 9. 1. Majorem in modum congregati nostri humilitatis virtutem exercere teneantur tam interne, quam externe; hæc enim fundamentum est, ac

*Bull Rom. Tom. VI.*

basis cæterarum virtutum. Omnibus in actionibus doctrinam divini magistri Jesu Christi exerceant, cum ipse nos a se ipso peculiariter mites esse, ac humiles corde discere præcipit.

2. Hæc divina Christi doctrina nos cogit, ut æquales nos inter omnino esse debeamus; ita ut nullus major aliis vel gradu, vel privilegio esse possit; nec magnificis uti possit titulis doctoris, aut magistri, sæculo licet his fuisset nominibus insignitus. Visitor tantum, et rector, superiores præcipui, prima, dignioraque congregatos omnes inter habebunt loca tam publicis quam privatis in actionibus: id tamen honoris cum e magistratu abierint finem habebunt, cum enim superiores esse desiderint, congregato cuique pares erunt. Idem agendum erit cum illis, qui jurisdictionem aliquam habuerint, magistratus tempore exacto.

3. Peculiari honore ætatem, ac cujusque gradum reverebuntur. Laici ac choristæ non sedebunt, aut loquentur ante sacerdotes, congregatosque antiquiores, nisi ab ipsis præcipiantur. Si quis congregatus alii fiat obviam, minor majori ætate præstet honorem: idem congregati laici agent, licet antiquiores sint cum sacerdotibus, aut tonsuratis occurrant; et omnibus vetamus, ut dum confabulantur cum aliis = tu = vel = vos = pronominibus non agent; sed cuique tantum = vestra charitas = titulum attribuant. Nimis familiaritatis, levitatisque actionibus sese inter non utantur; quique secus fecerit pro culpæ modo a superiore erit puniendus.

4. Quo inanem omnem inflationem, quæ futilis scientiæ vitio adscribitur ab apostolo Paulo omnino vitamus; nec ullus superbiæ, adeo humilitati contrariæ sit locus: privata solummodo erunt in Nostra congregatione literarum studia, uti suo loco dicemus; neque congregatorum aliquis in academiis magistri gradum accipiet, sed omnes potius sanctorum incumbant scientiæ, ac tam in horum, quam in Christi Domini Nostri vitis doctrinam magis necessariam discant, utiliora consilia, ac tutiora christianæ vitæ effata.

## CAPUT V.

*De modestia.*

De modestia.

§. 10. 1. Quo congregati nostri utiliter, bonoque cum aliorum exemplo modestiæ virtutem exerceant; illud debent perpendere quam maxime quod il-

los Deus videt; omnesque eorum actiones particulatim, ac motus cordis perscrutari. Illud etiam præ oculis habeant, sæculares religiosorum, cæterorumque qui mundo valedixerunt, actiones iniquum ad examen revocare, quo virtutem persequantur, quoque qui arctam ejus terunt semitam, verbis male verent; quippe qui in perfecta religiosorum vita, tamquam in speculo effrænæ eorum licentiæ perpetim videre reprehensionem quam maxime odere. Hac igitur de causa congregati nostri omnibus verbo, et opere perfectam christiane vivendi rationem persuadeant.

2. Tam oculis, quam manibus, ac toto corpore modeste ac decenter se gerant; valdeque curent, ut confabulationes de rebus sint semper, quæ exemplo sint bono, ac ad æternæ salutis assequendum bonum audientes moveant. Supervacanea colloquia respuant, illa præsertim, quæ ad principum, prælatorum, magistratumque vitam, moresque carpandos diriguntur, cumque urbane poterunt, alio sermonem deflectant, vel inde abeant. Cachinnas non admittant, neque in actiones gestusque vitæ nostræ non consentaneos, modestiæque contrarios erumpant.

#### CAPUT VI.

##### *De mentali oratione.*

De mentali oratione.

§. 11. 1. Quantum nostra orandi exercitium intersit, commendavit Christus, docuitque cum dixit, oportere semper orare, et nunquam deficere. Illud = semper = quibusvis loco, tempore, ac circumstantiis est intelligendum; spiritum ad Deum elevando, piisque animi affectibus, tamquam jaculis emissis, ipsum veluti præsentem observando; hac enim ratione, angelis magis, quam hominibus similes erimus.

2. Universa simul congregata communitas, semper mentaliter orabit mane, et ad noctem per illud temporis spatium, quod in capite ubique horarum divisione agitur, statuitur. Orationi huic lectionis aliquid ad meditando idoneum præmittatur, ad idque superioris consilio eligentur libri, qui ad spirituale promovendum bonum, idonei magis utilesque judicabuntur. Orationis initio alte quisque ante Deum submisso corde stet, quo tutius deinde, faciliusque in cælum feratur. Meminerint omnes orationis tempore amare peccata flere, ac suimet notionem

acquirere. Hac enim ab radice sancta pullulat humilitas, veræ virtutis basis, et fundamentum. A semetipsis caveant, proprioque amoris aures non præbeant, ne revelationum, visionum, ac sublimium rerum abrepti cupiditate, in hostis technas, illusionesque prolabantur. Serio tandem cogitent, ultimo in judicio nullam de revelationibus, sed de bonis pravisque totius vitæ actionibus rationem esse reddituros; de neglectis divinæ gratiæ auxiliis, ac de temporis jactura.

3. Orationi congregati omnes intererunt quam maxime, attento animo, neque aliud interea agant, aut cum aliis colloquantur, ridiculasque in actiones erumpant. Quidquid quivis hac in parte deliquerit prompte a superiori pena, quam suo loco statuemus, punietur. Orationis elapso tempore, qui actui præerit congregatus psalmo = Laudate Dominum omnes geates = aliis præcinet; reliqua deinde a diario statuta exercitia prosequantur.

#### CAPUT VII.

##### *De jejunio, corporisque afflictatione.*

§. 12. 1. Eperditiora, aptioraque, quo quis virtuti addictus rebelles naturæ cupiditates profliget arma, spiritusque etiam hostes vincat; jejunium est, quo corporis attenuantur vires, flagellumque, cæteraque afflictationes, quamplurimæ quibus, dum quis severe utitur, corpus in servitutem redigetur. Nam, quo vires magis carnis labore, cruciatibusque victæ decrescunt, eo magis spiritus valentior, expeditiorque ad inserviendum Deo efficitur, ac ad salutis tramitem prosequendum.

De jejunio, corporisque afflictatione.

2. Hunc in finem esurialibus semper nostris cibis victitabunt, prout in more positum est. Nullus ergo vesci poterit carnibus sine gravi necessitate ita a medico judicata, et a superiore approbata: carnibus tamen extra domum vesci poterit, nunquam tamen in urbe Adventus tempore.

3. Congregato cuivis ad prandium jusculi immixto pane scutella præbeatur, ac idonea leguminum, vel orizæ quantitas; tum recentium, vel salitorum piscium sufficiens portio, necessario cum pane, quo expleto, corpore, lætiori quisque animo labores, ac spiritualia exercitia aggrediatur. Jejunio non assignatis diebus cœnam superior universis præbeat; in vespertina vero

jejunii collationcula permissum tantum ab Ecclesia præbeatur.

4. Vino similive potu ante vigesimum quartum ætatis annum non utentur; ac tum etiam moderate illo utantur ad vires, naturamque debilitatam reficiendam. Congregatis novitiati adhuc subiectis vini usus etiam post vicesimum quartum annum non concedatur, nisi id domus medicus, interposita in scriptis fide, necessarium existimet, et superior discretique etiam adprobeat. Rectori commendatum valde volumus, ut benigne, liberalique animo subditis præbeat necessaria, quo hilari sint animo, neque occasionem alio se convertendi habeant, sæculariumve aures querelis impleant: hinc enim quamplurima, eaque gravissima oriuntur mala.

5. Hebdomadæ cujusque quartis, et sextis feriis, ac sabbatho jejunabunt, nisi designati hi dies festi fuerint, aut in eisdem celebretur festum patris nostri s. Pauli, ecclesiarumve nostrarum titularium, vel tum quadraginta horarum supplicatio fiat, vel missa erit cantanda. Per omnes etiam Adventus dies, dominicis exceptis, jejunabunt. Qui jejunare congregati non poterunt ad superiorem recurrant, qui, si justa subsit causa, cum illis dispensabit. Iter agentes benemeritorum labore, ac molestia attentis a jejunii lege solvimus. Interea tamen in memoriam revocent omnes laudabilem semper consuetudinem a communitate fuisse servatam, sexta feria scilicet passionis, solo pane, et aqua in terra victitandi.

6. Præter peculiare afflictationes ab unoquoque prudenter, propriique ante confessarii explorato consilio exercendas; sese in unum collecti omnes flagello verberabunt, secundis, quartis, ac sextis feriis, quandiu durabit psalmus = Miserere = De profundis = cum duabus antiphonis = Christus = et = Da pacem = suis cum versiculis, et orationibus, ne designati modo hi dies ex illis sint, quibus a jejunio abstinere debent prout antecedenti numero dictum est. Verum in Adventu, dominicis exceptis diebus singulis corpus flagello verberabunt eodem temporis spatio. In quadregima quotidiana erit verberatio, ac perdurabit quandiu recitabitur bis psalmus Miserere = semel = De profundis = cum duabus antiphonis = Christus, et = Da pacem = cum versiculis, et orationibus. Quarta, quinta et sexta majoribus hebdomadæ feriis verberatio durabit quan-

diu ter psalmus = Miserere = recitabitur cum antiphona = Christus = prout diebus hisce ab Ecclesia recitari præcipitur; quæ cum, et cum oratione sua verberationi hisce diebus finis imponetur; reliquis vero cum supplicatione, seu statione brachiis in crucis modum extensis. Sed dominicis diebus omnibus, ac sabbatho majoris hebdomadæ verberatio non fiet, religiosa induti veste dormiant omnes; hancque morbo tantum afflicti exuant, vel cum aliqua de causa id fuerit necessarium, nec nostrum aliquis tonderi sibi unquam barbaram permittat.

## CAPUT VIII.

### De silentio

§. 13. 1. Quo castum servetur cor, De silentio. monet Spiritus Sanctus debere quemque linguam suam coercere; nam in colloquutionibus semper grave, aut leve peccatum intervenit: qui tacet spiritus conservat fervorem; expeditiorque est quo contemplationi incumbat, familiariusque cum Deo agat. Qui quavis de causa silentium negligit, facile mente vagatur, Deoque post habito creaturas ad agendum assumit. Hac de causa ab eremi patribus laudabiliter semper silentii virtus servata fuit, et ab religiosis etiam familiis, quas sequi, et imitari conamur.

2. Hoc præ oculis exemplo habito, enixe omnes ac efficaciter silentium servare curent tam in choro quam in ecclesia, sacristia, refectorio, dormitorio, claustro, bibliotheca, cæterisque domus officinis; sique aliquid hisce in locis loqui opus sit, id brevissime, ac demissa fiat voce.

3. Si quis congregatus matutino tempore, cum alio necessario ac per longum temporis spatium colloqui debeat, id, designato ad id loco, cum superioris facultate fiat. Eadem facultas, præhabenda erit quo cum externis colloquantur quovis tempore: quod si interea ad aliquem communitatis actus signum dabitur (si poterunt) externos urbane demittant, ac tum in mentem revocent quid Deum inter ac homines intersit. Valde omnibus virtutis hujus observationem commendatam volumus; delinquentes vero afficientur pœnis suo loco designandis.

## CAPUT IX.

*De secessu, exercitiisque spiritualibus a congregatis omnibus quovis anno, ac ab externis, qui petierint, peragendis.*

De secessu, exercitiisque spiritualibus a congregatis omnibus quovis anno, ac ab externis qui petierint peragendis.

§. 14. 1. Uber adeo, ac communis est fructus, qui Ecclesiæ catholicæ ab exercitiis a s. Ignatio compositis provenit; ut nos inter lex, firmaque in perpetuum constitutio futura sit, ut congregati nostri omnes a superiore incipiendo illa peragant: hac vero ratione peragentur.

2. Congregatorum nostrorum quisque (idem novitii ante professionem suam agent, id ante primam missam sacerdotes novi) superioris jussu ab aliis omnibus animum revocabunt, eoque etiam tempore, quod superior designabit per octo dies anno quolibet. In his confessarii proprii consilio adhibito, sese illis in meditationibus, effatis, consiliisque exercent, quæ sibi magis necessaria judicabit. Cum alii simul tum non aderit aliis actibus, nisi orationi, horis canonicis, verberationi, et refectorio: reliquum vero tempus animæ bono dabit, majorisque perfectionis desiderio. Nemini tum, superiore excepto, loquetur, qui et congregati etiam confessarius, cum id opportunum judicabunt, eundem invisent, quo illum erigant, dirigantque in via Domini ac in exercitiorum tramite.

3. Diebus hisce, si cujusque confessario ita visum fuerit, confessionem generalem repetant, a generali ultima incipiendo. Diligenti omnes cura adnotent clariora lumina, agnitasque in exercitiis veritates, quo eadem postea ipsis in perfectionis via adjumento sint; tum etiam ad Deum pro catholicæ Ecclesiæ statu, fidei incremento, inter christianos principes pace, regis domus, ac regis felicitate, eminentissimi superioris, tam temporali, quam spirituali bono, ac demum pro congregatione nostra, omnibusque de eadem vivis, mortuisque benemerentibus ardentes preces fundant.

4. Sed cum aliorum utilitas, æternæque eorumdem saluti amor præcipuis e finibus sint harum legum; statuimus ut peculiaris paretur domus, in qua possit quicumque id petierit, spiritualibus vacare exercitiis. Verum huic vel his director impense adsistat, qui in exercitiis dirigat, ac manu veluti ducat. Iisdem hisce diebus, comu-

nitatis necessarium præbeat victum, quin ob id ab eisdem nedum præmium, sed ne grati quidem animi signum postulet, quo liberius ita, faciliusque sæculares ad hujusmodi concurrant exercitia, sancta ac pia adeo, et animabus utilia, tum etiam quo liberaliter, omni-que temporali abjecto pretio fidelibus spiritus Sancti gratiæ copia fiat.

## CAPUT X.

*De horarum distributione*

§. 15. 1. Quo congregati rectam juxta has constitutiones horarum distributionem agnoscant, hac de re hoc in capite agemus. Hinc scient cum communis exercitiis, cum divini officii solutioni sit interveniendum.

2. Æstatis tempore ad horam matutinam quartam, hyeme vero ad quintam campanæ signum fiet, quo in choro collecti omnes aliove comodiore loco, per horam mentaliter orent. Hujus horæ pars illud erit tempus, quod in lectione puncti meditationis insumetur, quod si longius erit libri folium non excedatur. Tum minores illico horæ persolvantur, quibus addatur martyrologii lectio, et = Stella cæli = juxta reliquorum chororum morem, sed recitanda erit. Dum horæ persolvuntur, congregati laici missæ sacrificio intererunt (quod bini in hebdomadam designati confessarii celebrabunt), qui vero interea non sacerdotes in choro erunt, idem agent absoluto choro; utrique tamen deinde in cellas, officinas, ac munia quisque sua se conferent. Sacerdotes qui, quo celebrent designatam non habent horam, ita agent, ut ad decimam, ferme, horam expediti sint. Omnibus valde commendamus, ut quidquid matutini temporis confessionarii absoluto munere, supererit, id solitarie, ac quiete transigant, studiaque rebusque disponendis attribuant; quæ ad instituti, quod profitentur, finem assequendum maxime ducunt. Hac de causa rector, ni præsens urgeat necessitas, neminem extra domum mittat.

3. Ad horam decimam illico hebdomadarius sacris vestibus sese induet, ac officii missam celebrabit. Qui in choro erunt ad cellas tendant, ac ad undecimam usque per horam studio incumbant, neque inde exeant, nisi ad confessiones excipiendas, aut gravem aliam ob causam. Ab hac tamen studii hora si erunt immunes dies, in quibus missa

De horarum distributione

cantabitur, concio habebitur, aut magis pœnitentium confluet numerus. Ad horam undecimam, ferme, signum dabitur, quo ad refectorium confluant omnes. Dum edunt consueto more, spirituale aliquid legatur; ad feriam vero sextam, constitutionum nostrarum lectio reservetur. Gratiarum actione solita cibo finem imponatur; tum ad paropsides, scutellasque lavandas pergant omnes ni festum sit P. N. sancti Pauli, Domini a bona morte, feria quinta in cœna Domini, aut aliquis e tribus diebus quadraginta horarum supplicationis, aliisque in quo Christus fidelium venerationi sacramento sit expositus, ante quem, uti dicendum erit, modo dictam gratiarum actionem omnes agent. Deinde liceat omnibus sese inter ad meridiem usque moderate colloqui.

4. Meridie ab horologio signo dato ad cellas secedant omnes, ac secum metipsis de spirituali profectu brevi ratione inita silentium servabunt ad pomeridianam usque horam primam in hyeme (ni dominica sit, aut dies festus); ætatis vero tempore ad horam usque secundam. Tum collatio habebitur usque ad vespas, quæ in sabbatis de sacra Scriptura erit; reliquis vero diebus de rebus ad moralem theologiam spectantibus. His ab collationibus liberæ erunt dominicæ, ac dies festi omnes; feriæ quintæ hebdomadæ nullo interruptæ festo, a vigilia Nativitatis ad festum usque patris nostri sancti Pauli; a sabbatho ante dominicam Palmarum, usque ad feriam secundam in Albis; a decima quinta julii ad extremum usque septembris, ac reliqui dies omnes, in quibus superiori, discretisque id oneris dispensare æquum videbitur.

5. Ad pomeridianam horam secundam hyemis, ad tertiam vero ætatis tempore, vespas, ac completorium persolvent, illis etiam diebus, in quibus relaxandi animi gratia in agrum deambulatum ire debeant; quod senis tantum, aut octonis erit vicibus decursu anni, idque cum superior æquum esse judicabit: tum enim satis est, ut has horas persolvant, qui manebunt domi, qui dimidium erunt communitatis. Dominicis, festis diebus, ac feriis quintis post vespas exteriorem ad hortum congregati, adnuente superiore, prodire poterunt: deambulatum tamen in agrum non ibunt quadragesimæ, ac Adventus tempore; exteriorem vero in hortum illis diebus in quibus nostra in ecclesia concio habita fuerit, non prohibent.

6. Quidquid supererit tempus ad horam usque matutini persolvendi, id religiose insumant; externis spiritualiter, et urbane etiam, prout necessitas postulabit faciendo satis; vestium, quas gerunt, accurando munditiam, vel eadem sarciendo; cellarum, conventusque curando nitorem; quietique breve aliquod dando spatium. Caveant tamen, ne ullum detractioni, otioque dent locum; quique cum studio incumbere voluerit, libere id agat, dum ab obedientia fuerit permissum; nam cum rector de matutino congregatorum chori studii tempore, studiose ne deperdat, aut alio ipsi distrahantur, curare debeat; vespertinis horis si ad communitatis bonum necessarium fuerit, poterit eosdem aliis in rebus occupare. Congregati, qui e conventu egredientur, ad solis occasum domum redeant, qui secus fecerit, superiori moræ causas exponet; quod si non caruerit culpa, superior, quam æquam censebit pœnam imponet.

7. Ad sextam hyemali, æstivo vero tempore ad septimam pomeridianam horam matutinum, et laudes recitabunt insequentis diei, qui sabbathi aut dominicæ officium persolvendum erit, horæ quadrantem anticipabunt. Eodem tempore congregati laici ante chorum, aut quovis alio ad arbitrium superioris loco, beatissimæ virginis rosarium recitabunt. Laudibus persolutis, litanie virginis Mariæ recitentur, quæ sabbatis, omnibusque ejusdem virginis festis cantandæ erunt. Si verberationi dies fuerit præstituta illico post litanias verberatio fiat, ac statione peracta. Reliquum temporis ad octavam usque, vel ad nonam horam mentaliter orando insumant, sextis feriis exceptis, in quibus per semi horam fere capitulum culparum præcedet; dominicisque etiam in omne illud tempus spiritualiter ferendo insumetur.

8. Hæc post officij solutionem occupationum distributio servabitur, dum ecclesiasticis consuetudinibus, sanctisque aliarum religionum moribus sese non opponet, quam ob causam a pervigilio Nativitatis ad festum usque patris nostri s. Pauli horæ hujus occupationes a superioris, ac discretorum arbitrio pendeant. Idem esto in paschatis, ac Pentecostis octavariis, diebus s. Joannis Baptistæ, et s. Petri apostoli, ac in alio etiam vel ipsius diei solemnitate, vel congregatorum labore attentis; semper tamen post laudes litanie, aut recitentur, aut canantur, quarta, quinta, et

sexta majoris hebdomadæ feriis exceptis; his enim diebus alii non peragentur actus, quam qui ab Ecclesia, cæremonialibusque sunt præstituti. Idem sabbatho sancto mane servabitur; vespere tamen ad horam quintam completorium persolvatur, cui absoluto, mentalis orationis hora adjungatur, deinde beatissimæ virginis litanie, ac in refectorio collatiuncula. Cæterum resurrectionis matutinæ horæ ad quartam insequentis diei horam, uti dicemus, rejiciantur.

9. Ad octavam hyemis, æstatis vero tempore ad nonam vespertinam horam omnes ad refectorium tendent ad cibum capiendum. Dum edunt, aliquid ex libro aliquo de virtutibus, perfectionisque exercitio agente a superiore designato legatur: in quadragesima vero alius de passione Christi liber legi poterit. Cibo sumpto, poterunt congregati sese inter familiariter colloqui ad horam usque insequentem.

10. Ad horam nonam, vel decimam signum campanula dabitur, quo omnes suas in cellas se recipiant, ac proprias excutiant conscientias. Hoc peracto, ad insequens usque mane, omnes silebunt; qui vero congregatus ea in hebdomada id oneris agere debet, ad animas piaculari detentas igne in memoriam redigendas perget, prout in more positum est. Siquis post conscientie disquisitionem chori congregatus studio incumbere voluerit, per horas duas hyeme, per unicam vero æstate, id agere possit libere; sed laicis congregatis, quo spirituale aliquid legant, trium tantum horæ quadrantium tempus permittitur: præstitutum tamen hocce tempus utriusque non excedant sine superioris facultate. In quadragesima studii signum dabitur ad horam matutinam nonam cum dimidio, quo a decima cum dimidio ad undecimam usque (si jam conventualis missa fuerit celebrata) vespere persolvantur.

11. In adventu ad mediam noctem matutinum, et laudes persolventur. Hunc in finem sabbatho ante primam dominicam ad horam quintam signum dabitur completorii, quod mentalis orationis hora, verberatio, statio ac litanie beatissimæ virginis subsequenter, precesque continuando dum ad refectorium pergunt, psalmum = Misere-re = recitabunt; idque toties agendum erit, quoties tam ad prandium quam ad cœnam e choro ad refectorium progredi debebunt, tam Adventus, quam quovis alio tempore. Antequam tamen

refectorium ingrediantur, recitandum erit psalmus = De Profundis = cum oratione = Deus veniæ largitor = ni (juxta morem) habenda sit collatio. Cum visum fuerit superiori feriis sextis non exceptis capituli culparum signum dabitur: dominicis vero idem agendum erit ad spiritualem habendam collationem.

12. In quadragesima etiam ad mediam noctem matutinum erit persolvendum. Igitur sabbatho ante dominicam quinquagesimæ ad horam quintam pomeridianam completorii signum dabitur: tum cætera peragentur omnia, prout antecedenti numero dictum est, hoc tantum addito discriminis, quod in Adventum ad matutinam orationem surgent omnes ad horam quintam cum dimidio: ad quintam vero in quadragesima. Temporibus hisce duobus congregatus, qui piaculari in igne detentas animas aliis in mentem revocat (quod ad octavam peraget horam, dum alii ad cellarum solitudinem, accuratumque silentium secedunt) ad mediam usque noctem invigilare teneatur, qua hora communitatem a somno excitabit; idipsum vero charitatis officium paullo ante mediam noctem minori ædituo, ac novitiati universi præstabit.

13. Siquis congregatus ut oret, in choro post matutinum manere voluerit, id libere agat; dummodo stato tempore tam publicis, quam privatis muniis non desit. Dictum manet, quod adventus et quadragesimæ dominicæ a verberatione immunes sunt, hæc etiam verberatio ad tempus post refectorium, illamque quam superiori placuerit horam rejici poterit, præsertim cum dies fiunt longiores. Tandem quo huic capiti finem imponamus, monitum volumus, quod æstas initium habet suum hora quarta matutina dominicæ paschatis; hyems vero pomeridiana hora secunda diei exaltationis ssmæ Crucis.

## CAPUT XI.

### *De divino officio, missisque cantatis.*

§. 16. 1. Probe congregati omnes animadvertant, ac alte animo revolvant, quod cum divinum officium recitatur, aut canitur erigere ad Deum cor debere omnes, ac humiliter ognoscere creaturam illo in actu cum Deo colloqui, diviæque cum majestate, quæ illic tamquam præsens intelligitur, agere; mentes igitur cœlestes imitari debere, quæ quanto divinis in laudibus magis occupantur, tanto magis modestia, ac ve-

*De divino officio, missisque cantatis.*



neratione motæ faciem velant ; Dei enim , quem laudant immensam agnoscunt magnitudinem , majestatem , et potentiam . Hanc ergo ob causam congregati nostri cum in choro erunt , majorem quam poterunt reverentiam , attentionem , modestiam , et devotionem adhibeant .

2. Statuimus ut congregatio nostra breviario Romæ s. Pii V. jussu edito juxta s. concilii Tridentini decretum semper utatur ; vel illo , quod Romana Ecclesia ( si quod proposuerit ) decursu temporis proponet . Interdium noctuque canonicas horas distribuatur juxta ordinem antecedenti capite propositum . Quoniam vero præcipuus instituti , quod profitemur finis non chori munia , sed spirituale proximi sit bonum ; in choro omnes præter divinum officium defunctorum etiam recitabunt officium die secunda novembris , et litanias a missali Romano sub præcepto præscriptas . Superior vero diligenter curet , ut cunctanter recitetur , latinusque ita pronuntietur sermo , ac distincte adeo ut probe omnes verborum sensum intelligant , ac divinarum laudum devotionem mente ferveant et corde .

3. Vesperæ , et completorium patris nostri sancti Pauli , ac Domini a bonâ morte , ecclesiæ nostræ titularis cani debent , si fieri poterit , a domus cantoribus : harum pari modo fastivum , matutinum , laudes , et missa canantur ; uti etiam prima , ac ultima missa quadraginta horarum supplicationis canenda erit , hujus tamen tridui officia alta , et concordii voce efferantur . Quartæ , quintæ , et sextæ majoris hebdomadæ feriarum officia , et feriarum quintæ missa , prout a cæremoniis præcipitur , canantur . Matutinum paschatis ad horam matutinam quartam alta , et concordii voce persolvantur , laudes vero canantur postquam minores horæ recitabuntur .

4. Ascensionis Domini die nona cantabitur illico ac meridiei signum horologium dabit : sed in pervigilio Nativitatis Domini prima canenda erit , quo major martyrologii lectioni solemnitas addatur . Eodem die ad horam secundam pomeridianam vespere cantentur ; completorium vero ad horam quartam alta et clara voce recitetur , ad sextam deinde collatiuncula reficiantur , quo ad septimam in cellas adquiescendum secedere possint ad horam usque a rectore designatam , ad matutini signum campana dandum . Matutinum , vel cantetur , vel alta , et cunctanti voce reci-

tetur . Id tamen ita fiat , ut cum mediæ noctis signum personuerit , missa cantari possit , ac deinde laudes . Quo tamen has inter , et missam nullum sit tempus medium , cum in altari pax dabitur , ædituus , vel alius a superiore designatus præsto sit cum duobus acolythis , quo in chorum tendat ad pacem dandam cum recens nati Christi imagine . Hoc vero peracto , eandem populi in ecclesia collecti venerationi imaginem exponet . Absoluto choro ad cellas omnes poterunt secedere ad horam usque quintam cum dimidio , cum scilicet Adventus explicet tempus , ac reliqua peraguntur omnia , jam num. 2. antecedentis capitis exposita .

5. Primæ vespere Epiphaniæ , Paschatis , Ascensionis , Pentecostes , ssimæ Trinitatis , octavæ Corporis Christi , Conceptionis , Nativitatis , Purificationis , et Assumptionis virginis , sancti Joannis Baptistæ , sancti Petri , sancti Michaelis , ac omnium sanctorum canentur , et hymnus = Te Deum laudamus = in matutini fine , qui etiam classicis omnibus de præcepto festis canendus erit . Missæ modo dictorum festorum cantandæ erunt , si ad chori munia congregati octo adsint voce , et dexteritate præditi , quin ioterea confessionarii munus relinquunt . Quoniam vero eventura haud bene modo agnoscuntur , rectoris , discretorumque relinquimus prudentiæ , quæ potius missæ cantari debeant , quibus in ecclesia nostra diebus concio sit habenda .

6. De cantu , hæc præcipimus ; quo modo utimur , semper utantur ; nec ulla unquam in festivitate musici contentus , instrumentis admixtis , admittantur . Verum quo debita perfectione peragantur omnia , omnisque vitetur confusio , per triennium congregatus a superiore designatus majoris cantoris munus obeat . Hujus erit ab hac ad illam chori partem hos , aut illos transferre , aliis præcinere , et cantores designare . Cætera sui muneris quo sciat Romanum adeat cæremoniale .

7. Congregati qui justa , ac legitima de causa choro non interveniant ; dum sacris ordinibus initiati non fuerint , privatim horas canonicas persolvent , quoties a rectore , justo attento impedimento dispensati non fuerint . Cum aliquis quominus choro , aut cuiusvis comunitatis actui intersit impedimento detinetur , superiorem eundem , vel per se , vel per alium de impedimento faciat certiorum . Superior vero si justa suberit causa illum a choro im-

munem reddet. Laicis congregatis, hæc constitutiones minoribus horis assistendi onus non imponit; si aliquid tamen aliud agere non debent, vesperis, ac matutinis intersint. Nemo nisi necessitate adactus e choro, aut ab alio communitatis actu exeat; compulsus vero antequam exeat, a quo præstet veniam petat. Præsidentis vero hujus nimia animadversa cunctatione, congregatum alium mittat, qui de moræ causa cognoscat: fieri enim potest, ut hæc aliquando promptum charitatis auxilium; aliquando vero haud diligentem cautionem in remedium postulet.

## CAPUT XII.

### *De hebdomadario, cantoribus, designatoribus, et lectore.*

De hebdomadario, cantoribus, designatoribus, et lectore.

§. 17. 1. Sacerdotes congregati omnes visitatore, ac rectore præsentibus exceptis hebdomadarii munus obibunt. Ad hunc spectat divina officia celebrare, conventualem missam, cæterasque ecclesiasticas functiones per hebdomadam cuique juxta professionis antiquitatem designatam. Sabbatho ante vespas incipient, ac insequenti sabbatho gratiarum post prandium absoluta actione, hebdomadam conficiunt.

2. Horæ decimæ signo dato, prompte ad sacras vestes induendum hebdomadarius accurrat, et ad conventualem missam celebrandam. Quidquid in divini officii solutione erroris aut oscitantæ admissum fuerit animadvertat, ut superiorem moneat, quo hic de remedio curet. In refectorio benedicat mensam, ciboque sumpto consuetam aget gratiarum actionem. Quoties hebdomadarius non aderit, qui in choro prope hebdomadam antiquior erit sacerdos, ejus vices aget. Ad præsentem rectorem hebdomadarii munus spectat illasque cantare missas, quæ antecedenti in capite adnotantur; hocque impedito, discreti suo ordine ejus vices agent.

3. Cantorum munus est psalmos devote, clare, ac distincte incipere, et canticos: hymnos etiam occipient, non tamen solemnibus in vesperis, matutinis, et laudibus, id enim hebdomadarii munus spectat; responsoria item post lectiones, ac illorum versiculos, et brevia responsoria. Suo quamque tempore antiphonam indicent, et in missa introitum etc. incipient. Debent idem cantores dicenda omnia in choro ante prævidere, festi cujusque rubricas

legere, ac cæremonias attente prospicere, ne horum omnium desint perfectioni. Sabbathis omnibus, reliquisque hujus virginis festis litaniis canent; sanctorum vero per annum litanias ipsorum semper muneris erit, vel recitare vel cantare. Si officium non cantabitur, primi nocturni primus lectiones leget, secundi vero secundus; si vero cantabitur, ita lectiones distribuuntur ut junior cantor incipiat, hebdomadarius vero ultimam canat. Si nullus sit novitiatus addictus, primus cantor lychnorum chori gerat curam, munditiamque ejusdem loci accuret; secundus vero aliis mensæ accumbentibus per totam hebdomadam una cum alio congregato choro non addicto, inserviat, antiquitatis habita ratione. Si vero novitii nulli sint, idem cantor sabbathis omnibus refectorium verret, ac urceolos de more lavabit.

4. Designatorum munus est ad agnosterium (leggio) adstare, ac in eodem antequam chori munus incipiat, necessarios libros collocare, ac inde auferre: iisque in libris, quidquid dicendum erit indicare, diversasque eorundem paginas diligenter suo quamque tempore designare; agnosteriumque ita collocare, ut comode omnibus pateat. Sed cum apud nos chori munus severe admodum non exigatur; cantores, ac designatores hæc de causa tantum eligentur, cum solemne officium erit: si vero legendum aut altiori voce recitandum erit, cantores iidem designatores etiam erunt. Cantoribus, aut designatoribus absentibus, qui juniores aderunt, eorum vices suppleant.

5. Lectoris est ad primam martyrologium legere vel canere. Primo loco insequens festum, aut solemnitatem annuntiabit, itemque mobilibus etiam in festis præstabit. Punctum etiam ad meditandum leget; qui vero præerit, antiphona, versiculo, ac oratione propriis spiritum sanctum invocabit. Dum primam ad mensam accumbitur tam ad prandium, quam ad cœnam lector ipse in refectorio leget. Verum statuimus, ut hæc tandiu duret lectio, quandiu prandium, vel cœna durabunt; aliquot tamen exceptis casibus cum superior, vel qui præerit id oneris remittet. Igitur cum aliquis tum ex choro addictis cibum jam sumpserit, hunc superior præcipiet locum substituere lectores, qui ad id usque temporis legere debet, ac tum tantum cibi ipsi etiam apponeatur. Idem etiam cum illis agendum erit, qui serius ad men-

sam venerint. Lector etiam brevem completorii lectionem leget, librumque quo hebdomadarius in agnosterio uti debet, signis appositis præparabit, et agnosterium tapeto, vel ad id designato panino ornabit. Id tamen non nisi solemnibus in festis præstabit. Novitiis deficientibus aspersorium hebdomadario ipse porriget, ac lustralem aquam in vascula choro proxima infundat.

## CAPUT XIII.

*De missarum applicatione*

De missarum applicatione.

§. 18. 1. Sacerdotes nostri, ni iusta impediuntur de causa, quotidie (exceptis tamen quinta, et sexta feriis, ac sabbatho majoris hebdomadæ, ex decreto Clementis XI. et s. Rituum congregationis ab Alexandro VIII. approbato) celebrabunt devote, modeste, majorique, qua poterunt reverentia. Dum celebrant animadvertant attente propriis sese manibus illum tractare, qui omnium Deus est ac dominus, ipsosque ex nihilo creavit, ac ad id dignitatis ssmæ evexit, ac tandem cum rerum omnium finis advenerit iudicabit. Proprio exemplo adstantes alliciant, quo sancto huic misterio devote etiam ac reverenter adsistant. Tres horæ quadrantes celebrando (ni missa de passione sit) non exsuperent; neque minus, quam circiter semihoræ tempus insumant, nisi defunctorum missam celebrent. Quam possunt accuratissime cæremonias, ac rubricas omnes exequantur, in quibus a cæremoniarum magistro debent institui, deque eisdem ab eodem exquiri antequam primum sacrum faciant, quod nunquam cantare poterunt.

2. Cunctis anni diebus conventualis missa semper erit celebranda: hæc uti jam diximus, cantata erit vel lecta, quique in novitiatu erunt, illi omnes intersint. Si cantanda erit tempus præveniri debet, si concio præsertim inter solemnia sit habenda: alia tamen missa dominicis, festisque diebus ad horam matutinam undecimam, quo populi consulatur comoditati legatur. Eædem conventuales missæ applicabuntur pro summo pontifice; pro em̃o ac r̃mo d. cardinali patriarcha superiore nostro; pro regibus fidelissimis, ac universa domo regia; pro spirituali, ac temporali hujus regni statu, pro spirituali congregationis bono, congregationumque; ac tandem pro omnibus de

nobis benemeritis tam vivis quam defunctis.

3. Sacerdotes nostri quolibet anno poterunt, pro quibus ipsis visum fuerit missas viginti applicare, quæ per menses erunt distribuendæ; nullam tamen pro illis eleemosynam accipiant. Cæterum reliquas missas, prout in tabella ad id in sacristia exposita præcipiatur, celebrabunt. Diem tamen secundam novembris excipimus, in qua nulla exponetur tabella, quo celebrans possit juxta decretum Benedicti XIV. e tribus, quæ illa die celebrare potest missis, primam pro quo sibi visum fuerit applicare; dummodo eleemosynam non accipiant, quæ in communes usus non cedat. Cæteræ missarum applicationes videantur infra 2. p. cap. 31 n. 2.

## CAPUT XIV.

*De colloctionibus ad spiritum, moralem theologiam, ac sacra biblia spectantibus.*

§. 19. 1. Cum spiritualis colloctio animæ sit refectio, mentisque levamen; illius etenim dulcedine animæ nostræ potentiæ capiuntur, et corda illius usu vehementius ad amandum Deum, virtutesque prosequendas inflammantur: majorem hac de causa in modum congregatis nostris commendatum volumus, ut hac in colloctione, qua poterunt majori modestia, gravitate, silentio, ac animi attentione sese gerant, quo uberiorem inde fructum capiant, virtutemque de qua agitur melius exequi possint.

2. Superior, vel qui præerit præcipiet, ut a juniore congregato chori aliquid ad virtutum exercitium spectans legatur, quod uberius ipse deinde exponet, quæsitumque, vel dubium proponet etiam lectioni consentaneum, cui nullis adhibitis argumentationibus, omnes suo quisque ordine respondent. Colloctionis tandem præsidens suam adhibebit responsionem, remque omnem explicabit. Quæsito demum absoluto, congregatorum quisque poterit vel eadem, vel diversa super re ad primam tamen spectante, quæsitam aliam proponere. Ex hujusmodi ergo colloctionibus fructum omnes capient, dum virtutes exercere discunt, ac eandem assequendarum flagrant desiderio.

3. Theologiæ moralis collatio ita erit peragenda. Illi præerit superior,

De colloctionibus ad spiritum, moralem theologiam ac sacra biblia spectantibus.

vel ab eodem designatus sacerdos: tum omnes in orbem, secundum suam cuiusque vicem, binos in sequenti die resolvendos casus proponet v. gr. inquiretur: Utrum qui carnis ex necessitate vescitur, ad jejunium teneatur? insequenti die junior congregatus ex libro sanæ moralis, ac doctrinæ aliquid tandiu leget, quoadiu præsendenti placuerit; quod si quid in lectione difficile occurrat, id præsendens explicabit.

4. Lectione absoluta, propositos antecedenti die casus rursus proponet, et quæret: habeat nec ne congregatorum quivis aliquid responsionis? tum, quod suo quisque ordine dixerit, auscultabit. Verum aptissimum licet afferatur responsum præsendens tamen illi, qui casus proposuit, præcipiet, ut quid sentiat, exponat, auctoremque opinionis, vel sententiæ declaret. Quod si præsendens aliquid responsioni addere voluerit, id libere agat; nemo tamen illi argumentationem opponet ullam.

5. Sabbatho de sacrorum bibliorum studio, de sanctorum patrum lectione, ac de expositoribus habetur collatio, qua congregati qui missionis exercitium obire incipiunt, a senioribus, exercitiisque discent res ordinare, et invenire recte loqui, ac dicta probare, e quibus magnum congregatos missionarios capturos fructum, nec minorem inde etiam proventuram proximo utilitatem speramus.

6. Hac in collatione idem omnino, ac in collationibus theologiæ moralis servandum erit. In scriptis quæsitã tria proponentur insequentis hebdomadæ sabbatho elucidanda, eademque eisdem respondebitur ratione. Quæsitã hunc in modum, exempli gratia erunt =: Quibusnam potissimum sacræ Scripturæ verbis melius facilius homines ad servandam modestiam, templaque in honore habenda inducantur? Quænam sanctorum patrum sententiæ silentii melius bona declarant? quænam elatius sacrorum bibliorum exempla peccandi timorem incutiunt? = Tandem ex libro legatur aliquid, quod clarius, aptiusque apostolice concionandi methodum doceat.

## CAPUT XV.

### *De culparum actu.*

De culparum actu.

§. 20. 1. Feriis omnibus sextis anni, culparum capitulum habebitur, illis exceptis, quæ vel festæ, vel primæ, aut

secundæ classis erunt; illis etiam in quibus quadraginta horarum habebitur supplicatio, vel missa erit cantanda. Huic actui visitatore excepto, omnes intererunt. Rector, vel qui præerit, genibus omnibus flexis manentibus, sanctum Spiritum antiphona, versiculo, ac oratione propriis invocabit. Cunctis deinde sedentibus, in capituli medium novitii procedant omnes, sese ad terram prosternant. Tum antiquior, vel qui propior est sacerdotio, culpam hunc in modum dicet.

2. Culpam meam dico Deo, beatæ semper virginis Mariæ, beato patri nostro sancto Paulo, ac omnibus sanctis, et vestræ charitati super errata, ac delicta communis, peculiarisque vitæ meæ rationis: præsertim . . . . ., et quia male cor, et sensus meos custodio, nec in omnibus exemplo sum congregatis; quos oro, ut vestræ charitati patefaciant quamplurimã illa omnia emendatione digna, quæ a me committi animadverterunt, et vestram charitatem, ut me reprehendat, ac juste, misericorditerque puniet propter Dei amorem = suo ordine aliorum quisque, ni peculiarem habeat culpam, ita dicet = simili modo me accuso, et pœnam postulo = tum superior prudenter, benigneque omnes commonefaciet, quamque pœnam subire debeant declarabit. Superiori tum oranes submisisse caput inclinabunt, silentesque e capituli domo exhibunt.

3. Illico deinde congregati laici, qui nondum quartum congregationis annum expleverint, humi sese prosternent; quique etiam nondum sacerdotes, sunt choro addicti, nec idem etiam tempus explerunt; et culpa dicta, pœnaque accepta, eodem modo discedent. Singulis tandem humi sese prosternent: antiquior sacerdos culpam primus dicet, junior vero erit ultimus; ubi quisque tamen fuerit admonitus, suamque pœnam acceperit, sedebit; ad extremum responsorio cum tribus orationibus, flexis genibus, recitato finis culparum actui imponetur. Quod si actus hujusmodi eo habeatur tempore, ut illi oratio adjungi debeat: sique hæc (ad superioris arbitrium) in capituli domo habenda erit, tum erit responsorium recitandum, cum reliqui omnes erunt collecti. Superiorem tamen monitum volumus, ut si de aliquibus communitatem commonefacere voluerit, id tantum, novitiatu demisso, faciat; si vero aliquid confessariis, ut confessariis dicendum erit, id tantum confessariis

audiant; omnes tamen prius culpæ dicendæ muneri satisfaciant. Cæterum hoc in actu, suisque in animadversionibus non longius semihora tempus insumatur, uti dictum maneat.

## CAPUT XVI.

*De misericordiæ erga alios operibus tam spiritualibus, quam temporalibus in necessitatibus.*

*De misericordiæ erga alios, operibus tam spiritualibus, quam temporalibus in necessitatibus.*

§. 21. 1. Cum illa charitas sit virtus, quæ præ aliis omnibus ab apostolo commendatur, quippe quæ, si spirituali in homine non invenitur, nihil plane is est: optandum omnino est ut amabilem, præstantissimamque virtutem hæc congregati nostri proximi bono exercent, idque majorem in modum agere studeant, nam erga homines Christi amor illum quo omnes salvos faceret, ut vitam pro illis poneret, coegit; et nos etiam, Christum præ oculis habendo, parati esse debemus pro proximi nostri animabus ad effundendum sanguinem, vitamque etiam amittendam.

2. Hunc in finem congregati nostri nullam prætermittant industriam, curamque in administratione sacramentorum, in prædicatione evangelica, ac spirituali consolatione, in ferendo morientibus auxilio, ac in actibus illis omnibus, exercitiisque, quæ ad bonum fidelium animarum procurandum, eademque salvandas conducunt. Alia præterea hunc in finem his ab constitutionibus præcepta legantur 2. p. cap. 29.

3. Quod si congregati cujusvis parentes, aut fratres, vel cujusvis de congregatione benemeriti gravem incident in pauperiem, vel de graviore aliqua cujusvis ærumna constet, rector tum caute primum, occulteque de necessitate sciat; deinde de congregatorum discretorum consilio, quidquid remedii poterit, adhibeat. His tamen omnibus majorem in modum commendatum volumus, ut qua poterunt ratione opem egenis ferant; id enim æqua postulat ratio. Nam cum a possidentibus cibos ac necessaria omnia percipimus, jure optimo a nobis nihil possidentes opis aliquid, auxiliique exquirunt. Hanc ob causam diebus singulis quidquid ex communi prandio supererit in pauperes distribuatur.

## CAPUT XVII.

*De cultu, ac devotione erga Christum in Eucharistia.*

§. 22. 1. Cum augustissimum, sanctissimumque hocce mysterium compendium sit, ac signum beneficiorum, ab argentissimo Christi Jesu erga homines amore profectorum, æquum est etiam, ut huic homines amori respondeant, majorem quam poterunt venerationem, cultumque præsentem augustissimo huic sacramento præstando. Nam cum quo præsens nos inter maneret Deus, fuerit institutum execrabile ingrati animi admitteremus crimen, ni Deo præsentem et nos assistere majorem in modum curabimus. Hanc igitur ob causam congregati nostri omnes occupationibus vacui sanctissimum Eucharistiæ sacramentum adeant frequenter: fidei, amorisque erga idem renovent actus, ac nova in semetipsis desideria excitent, et affectus illi inserviendi, gloriamque sanctissimi illius nominis proferendi. Verum missionarii nostri peculiari cura, dum missiones obeunt, devotionem, ac cultum erga sanctissimum sacramentum fidelium cordibus instillent, ac de beneficiis maximis a Christo nobis hoc in amoris pignore præstitis semel ad populum habeant concionem.

*De cultu, ac devotione erga Christum in eucharistia.*

2. Majorisque hebdomadæ triduo, vel quovis alio die cum Christus in Eucharistia fidelium venerationi expositus est, bini semper congregati superpelliceo induti illis assistant horis, in quibus non aderit communitas, quæ post prandium diebus hisce, quo gratiarum persolvat actionem, in chorum perget. Hujusmodi actioni finis imponetur antiphona = O sacrum convivium = suo cum versiculo, et oratione; dum vero inde exeunt hymnum = Te Deum laudamus = dicent, cujus tamen loco feria quinta in cœna Domini psalmus = Miserere = cum antiphona = Christus = prout tum ab Ecclesia præcipitur, dicendus erit; actui deinde hujusmodi silentio finem imponent; reliquis vero diebus sanctissimæ Eucharistiæ elogio, quod in fine actuum communitatis præstandum semper erit.

3. Congregati non sacerdotes Christi corpus dominicis diebus, ac alio aliquo festo die sument; quod si festus dies alius in hebdomada non intervenit, secundo feria quinta ob memoriam præstantissimi hujus sacramenti institutionem Christi Corpus sument. Quod si quis quo propriæ devotioni sa-

tisfaciat, sæpius hanc ad mensam accedere voluerit, id libere de superioris facultate agere possit. Ægroti octavo quoque die cœlesti hoc pane reficiantur, et sæpius etiam de superioris ejusdem facultate, qui nedum præstitutis tantummodo diebus, sed et talia etiam jubilæi vel devotionis ergo congregatis, ut Christi Corpus sumant, poterit præcipere. Cum id vero peragendum erit, de hoc ipso antecedenti die ad vespas omnes moneat, quo sese comparandi tempus habeant. Cæterum omnibus valde commendamus, ut saltem per horæ quadrantem, postquam angelorum hunc panem insument, debitas, humillimasque Domino eidem agant gratias, cui propriis cordibus hospitium præbuere.

4. Congregati, qui occupationibus, quibus debent adsistere, detinentur, ad extremam primæ missæ Christi Corpus sument: reliqui ad horam septimam æstatis, hyernis vero tempore ad octavam una cum novitiatu. Huic vero actui novitiorum magister præsit; vel ejus adjutor. Feria quinta in cœna Domini universi ad conventualem missam Christi Corpus sument, quo Ecclesiæ præcepto satisfaciant: ægroti vero quique tum nullo possunt modo, citius id agere poterunt.

5. Sacra eucharistia fidelium venerationi exposita celebrabitur in congregatione nostra festum Corporis Christi octavarum die ultimo, eodem modo celebranda erunt festa P. N. S. Pauli, ac Domini a bona morte, aut quidquid externi ornatus deerit, ob paupertatem nostram, id virtutum ornamento, ac ardentissima oratione supplere studeamus.

#### CAPUT XVIII.

##### *De cultu ac devotione erga virginem Mariam dominam nostram.*

De cultu, ac devotione erga virginem Mariam dominam nostram.

§. 23. 1. Congregati nostri omnes peculiari amore ac religione sese beatissimæ Virgini addicant, studeantque ejus promereri patrocinium, dum ardenti cupiunt desiderio, ac viribus conantur omnibus sanctissimi ejus nominis, rosarii, ac intemeratæ conceptionis gloriam propagare.

2. Præcipua peculiarisque missionariorum nostrorum cura erit, cum sacrum missionum exercentes munus diversos adeunt populos, omnibus rosarii amorem instillare. Hanc ob causam ultima semper in missionibus concilio habenda erit de præstantia, bene-

ficiisque rosario adnexis, ac de peculiari beatissimæ Virgini patrocinio erga omnes, qui acceptissimum sibi pensum hocce religiose persolvent.

3. Cum intra domum prope aliquod beatissimæ Virgini signum, vel tabulam transibunt, genuflectent, ac intimo cordis affectu dicent = Ave Maria gratia plena = cum vero ejusdem nomen sanctissimum ab aliis prolatum audierint, caput in reverentiæ signum inclinent. Congregatis nostris laicis præcipimus, ut rosarium recitent quotidie, choristis vero, ut tertiam saltem rosarii partem mysteria vitæ, passionis, ac resurrectionis Christi contemplando persolvent; quo virgo ipsis præsens adsit, opemque in mortis hora bonam ferat. Quæ vero quotidie litaniam recitantur, eundem hunc ob finem recitentur, quoque eadem intemerata Dei mater congregationem nostram protegat, ac defendat.

#### CAPUT XIX.

##### *De cultu ac religione erga P. N. sanctum Paulum primum eremitam.*

§. 24. 1. Majus quod a nobis erga beatos proficisci potest officium, eorundem est exemplorum, ac virtutum imitatio; quapropter peculiari ratione S.P.N. Paulum imitari debemus, quod dum eximias ejus virtutes, vitamque præstantissimam referre studemus, tanto nos parente dignos efficiamus, ejusque amorem ac patrocinium mereamur.

2. Hunc in finem ejus crebro historiam vitæ legant, magnosque cruciatus, quibus spiritus in servitutem redigebat carnem, attente perpendant. Assiduam etiam orationem attendant, in qua sui oblitus, ardentissimo amore coelestia tantum appetebat; qua ratione creatas res omnes fugiebat, ac semetipsum contemnebat; specum in quo vitam duxit, qui afflictis, similibusque artibus cubile præbebat, quomodo silvestribus tantum herbis victitabat, palmarumque intextis foliis adversus temporis injurias pro vestibus utebatur. Magni hi eximiique corporis cruciatus, utpote a ssimo parente profecti, ac vitæ nostræ rationi aptissimi congregati nostri imitari studeant.

De cultu ac religione erga P. N. s. Paulum primum eremitam.



## PARS SECUNDA

## De congregationis regimine.

## CAPUT I.

*De obedientia, ac submissione summo pontifici, eō patriarchæ, ac fidelissimis regibus præstanda.*

De obedientia, ac submissione summo pontifici, eminentissimo patriarchæ, ac fidelissimis regibus præstanda.

§. 25. 1. Alte animis infigendo, quod Romanus pontifex visibile Ecclesiæ sit caput, Christi vicarius, ac apostoli Petri successor: quod episcopi apostolorum successores sunt; quodque reges, principesque a Deo nobis concessi sunt, ut parentes, ac in temporalibus domini, quo sudditos regant, ac defendant; congregati nostri prompto semper ac alacri animo, quidquid ipsi præceperint, vel statuerint, exequantur, iis maxime in rebus, quæ ad christianam religionem, Dei cultum, regni gloriam ac ad spirituale congregationis, et proximi bonum conducunt.

2. Peculiari cura missionarii nostri suis in concionibus ad populos obedientiam erga apostolicam Sedem commendabunt: fidelitatem etiam quam erga reges subditi præstare debent, indubitata religionis catholicæ Romanæ veritatem, ac certissimam ejusdem doctrinam. Omnibus etiam ut ab hæreticorum, ac infidelium contubernio sese expediant, suadeant, illudque præ oculis ponant, quod dum familiariter cum eisdem agunt hæreticis, æternum salutis bonum magnum pati potest detrimentum. Missionarii vero iidem novas doctrinas, quæ vel minimo detrimento possint esse auditoribus vitent. Siquis vero congregatus, (quod Deus avertat) a christianæ religionis veritate, aut ab Romani pontificis obedientia discedat, vel læsæ majestatis humanæ crimen admittat, illico a congregatione ejectus existimetur; quod si in vincula conjiciatur, iudices rogamus, ut hunc congregationis veste expolient, quo secus honor congregationi constet; si falsum vero postea crimen fuerit probatum, congregationi, oramus, ut propria indutus veste restituatur.

3. Eñum patriarcham congregatio rogabit, ut suos approbet superiores, cum fuerint electi, quo nullus ita confusio, ac perturbationi, quæ evenire possunt, aditus præbeat. Eundem ad eñum patriarcham congregati recurrere poterunt, cum nimis in eos pœnis injuste fuerit animadversum, vel cum congregationis superiores eorum

negligant postulationes. Id tamen non nisi duris servato ordine agent.

4. Statuimus ut cum missionarii nostri, quo Dei verbum seminent, urbem aliquam, aut oppidum a congregatione remotum petere debebunt, ne id prius agant, quam ab eño patriarcha superiori nostro, benedictionem, ac facultatem obtineant, a quo enixe petimus, ut non ut pastor tantum, sed ut parens etiam congregationis, congregatisque suum præstet auxilium; congregatis vero majorem in modum commendatum volumus, ut id honoris, qua poterunt majori cura, promereri studeant.

## CAPUT II.

*De congregationis visitatore ac ejus muniis*

§. 26. 1. Cum experientia nos doceat pessimo secularibus exemplo esse fœda quamplurima, quæ a familiarum regularium superioribus proficiscuntur, dum vel ipsi impotenter agunt, vel subditi gravate eorum impotentiam ferunt, statuimus, ut in universa congregatione nostra domorum, quæ intra patriarchatus fines continentur, superior constituatur titulo = visitatoris =, qui per triennium jus exerceat, quo suo melius muneri possit satisfacere, ac fœda hujusmodi exempla, sique inimici astu in domos nostras irrepserint, repellere possit.

De congregationis visitatore, ac ejus muniis.

2. In congregationis visitatorem congregatus confessarius, doctus, prudens, comis, quique probatæ sit virtutis eligatur. Præcipuum illius erit munus, majorem in modum curare, ut concorditer congregati, ac tranquille vivant. Quod si in horum aliquem injuste ab rectore fuerit animadversum, vel earum is justis in rebus postulationes rejecerit, adversus localem superiorem interposita appellatione, ad visitatorem recurrent, supplici libello oblato. Hunc si e justitia esse videbitur, visitator admittet una cum vocalibus; discreti tamen una cum rectore, a quo appellatur, ab hujusmodi judicio, ac dimissione excludantur; hoc enim in casu, quippe qui sunt visitatori adjuncti, suffragii jus habere non debent. Quod si appellans pro causæ meritis se superiores haud agere existimaverint; ad eñum patriarcham recurrere libere poterit: si vero recursus juxta juris ordinem fiet, recurrenti communitas necessaria præbebit, prout antecedenti cap. u. §. diximus. Verum si in executione

dubium aliquod, aut mora interveniat, prompte visitator gravi sub pœna, quam executioni ejus successor mandabit, remedium adhibeat idoneum.

3. Cum ad visitatorem rei domesticæ cura non spectet, quippe quæ peculiari jure ab rectore administrari debet; neminem extra domum mittet visitationis diebus exceptis, si ita occasio postulabit. Qui tum vero mittetur, antequam e domo egrediatur, et cum redibit a rectore benedictionem accipiet, vel ab illo qui ejus geret vices. Idem omnino agat ille, qui socius visitatori fuerit attributus. Nullo visitator familiari morbo laborabit, quo uti debet comunem vivendi rationem exequi possit. Ultra tres dies etiam extra domum non absit: quod si longius ipsi tempus fuerit necessarium, ad eñum patriarcham recurret; quo ipse quod justum fuerit, concedat. Excipitur tamen cum vel præsens morbus, vel domus medicus aliud suaserint. Quam poterit frequenter omnibus (culparum actu excepto, uti dictum manet) communitatis actibus intersit, ipsisque primo præsit loco. Domum anno quoque invisit: in prima ac secunda visitatione non amplius, quam dies octo iusuret: in ultima vero per mensam ante capitulum rectorem ab officio amovebit, ac publicum sigillum suam rediget in potestatem; tumque una cum discretis domus curam geret.

4. Visitatore in magistratu mortuo, intra mensem alius eligatur, quo mortui tempus compleat, illiusque electioni rector cum vocalibus præerit. Electus illico ab eño patriarcha electionis confirmationem petat. Ultimæ visitationis tempore congregati omnes domi esse debent, illis exceptis, qui olei nondum necessaria collecta stipe, vel quavis alia de causa, præsentibus esse non poterunt, de quibus tamen in sequenti visitatione quæstio habenda erit. Capituli acta visitator brevia, ac compendiaria scribes, eandemque ejus jussu secretarius visitationis ultimo hujus die culparum absoluto capitulo leget. Hæc eadem acta in librum ad id designatum referentur, illisque tum visitator, tum ejus secretarius suum nomen subscribent; prius tamen coram vocalibus legi debent, ac a majori eorum numero approbari; si minus, irrita omnia, ac nullius valoris per has constitutiones declaramus.

5. Visitationem ab altari, ubi Eucharistia asservatur, ab ecclesia, et sacristia incipiet. Diligentissime cogno-

scet debitis, nec ne sacræ formulæ cultu, ac tempore renovatur? religiose, nec ne sanctorum imagines, ac cineres tractentur, ac debitus ipsis cultus præstetur? si infirmorum oleum anno quoque renovatur, aptoque vase ac loco asservatur? si calices, divinoque cultui designatæ vestes munde ac diligenter tractantur, et quæ ne pereant, cura adhibeatur? diligenter etiam agnoscat, utrum ædituus missarum oneribus satisfecerit, ac omnem ad ejus munus spectantem supellectilem, et illius commissam custodiæ numeratam, ac in repertorium relatam acceperit, et si quid perierit?

6. De superioribus domus, an muneri satisfecerint suo juxta præscripta ab his constitutionibus, quæstionem habebit; et si quam irrepsisse in communitatem abusionem, aut negligentiam invenerit, prompte remedium adhibeat. Cognoscat etiam an superiores visitationum acta executioni mandaverint? an procuratorum, ac clavariorum (quelli che hanno le chiavi della cassa comune) rationes accuratæ sint, vel aliquo vitio laborent? an bibliotheca, et tabularium ordinata asserventur depositione, ullaque sit cura de librorum angendo numero, scriptisque monumentis asservandis? an congregationi superiorum, vel administratorum culpa necessaria desint? an diligenter omnia ægrotis præstentur, ac debito tempore sacramentis muniantur? et an pro congregatis defunctis suffragia ab legibus statuta persolvantur?

7. Observabit item, et sedulo an domus officinæ necessaria, non tamen supervacanea habeant juxta indolem paupertatis? an ministri suis muniis satisfecerint? an cellæ pauperes, et mundæ sint, quin supervacaneis niteant ornamentis? an divinus cultus, sanctamque mentalis orationis exercitium deferbuerit? Diligentissime inquiret non solum de culpis, ac negligentia in administratione muneris antecedentis visitatoris, ejusque secretarii; sed de discretis etiam, quæ gesserint tempore suspensionis rectoris per mensem ante capitulum, et an hæc adamussum serventur constitutiones? Et siquid animadversione dignum invenerit, idoneum prompte remedium adhibeat.

8. Peculiari cura scire studeat, an ulla morum dissolutio, ullumve dissidium congregatos inter inveniantur? an eorum aliqui olices odio habeant; vel sese inter illo amore non

agant, quem charitas inter fratres requireret? an aliorum facta, dictave alii carpant, ac tandem an pax, ac religiosa tranquillitas aliquos inter desiderari possit. Quid si de horum aliquo sciverit seniori quantum poterit modo remedium adhibeat, dissidiisque extinctis, inter se omnes componet; nam omnis Dei amor ac timor inde abest unde pax, ac fraterna charitas exiit. Siquis vero (quod Deus avertat) justis, ac piis illius monitis acquiescere noluerit, nec dissidia ponere, et injuriam vel gravem, vel levem fratri suo condonare; visitator tum in eum pro culpæ modo animadvertat, sique opus fuerit, ad ejectionis sententiam deveniat juxta juris ordinem. Hinc enim, ut Nos experientia docet, religiosarum familiarum ruina originem ducit, et incrementum: hinc partes oriuntur, quæ religiones abscondunt in varia, earumque constitutiones, ac Dei legem ultimum in discrimen adducunt.

9. Visitatione absoluta, universos ad capituli domum convocabit. Tum vero, si superiores, cæterisque domus ministri bene suo quisque in munere se gessit, coram omnibus enique pro meritis gratias agat; ita enim congregatis animos faciet, quo suo quisque in munere prudenter, diligenter, accurateque omnibus satisfaciant. Verum si (quod absit) superior quivis, aut minister, vel subditus male se gessit, in eum pro culpæ modo animadvertet. In hujus acutus sine secretario suo (qui ad ejus arbitrium congregatus sacerdos erit) præcipiet ut acta legat in visitatione confecta, dummodo dicta hujus cap. n. 4. omnino serventur.

10. Hanc post actionem ad congregatos concionem habebit brevem quidem, sed Spiritu Sancto plenam, sentiisque, quæ spirituslem animarum utilitatem, harumque observationem legum ad oculos ponant. Omnes deinde genibus flexis ab visitatore benedictionem accipient, quo perfecto visitationi ipse finem imponet. Hoc tamen loci advertendum est quod si certo sciat visitator, vel legitima ipsi constet delatione, superiorem quemvis, vel e discretis aliquem malo in administrandis muniis communitati exemplo esse, vel quovis alio modo eidem dissidiorum, tædiorum, ac detrectationum causam præbere, communis boni habita ratione in prima, vel secunda visitatione hujusmodi homines ab officiis amovebit, ac una cum vocalibus alios eorum in locum sufficiet. In consultationum tan-

dem domo tabularium sit clare observatum, in quo a secretario libri actorum, et electionum asserventur. Responsa etiam eîno patriarchæ ad visitatoris munus spectantia: ac tandem institutæ in visitatione quæstiones, quæ in fine triennii visitoris eodem ab secretario coram visitatore comburentur.

### CAPUT III.

#### *De rectore domus superiore, ejusque muneribus.*

§. 27. I. Superiori domus = Rectoris = titulus attribuetur, et necessaria tam temporali, quam spirituali fungi debet jurisdictione, ac illa etiam, quæ ad œconomiam spectat. Hanc ob causam præcipienti prompte congregati omnes, nisi aliquid adversus eorum conscientias præcipiat, obedire debent. Hic præter condiciones a sacris canonibus requisitas, confessarius item ab eîno superiore nostro approbatus esse debet. Privatis publicisque in actibus locum visitatori proximum teneat. Cæteri vero congregati juxta magistratus, si quem habent, ac antiquitatis ordinem locum teneant.

De rectore domus superiore, ejusque muneribus.

2. Quam diligentissime poterit, tam spiritualem, quam temporalem subditorum procurabit utilitatem; quo dum in illo subditi patris curam et amorem agnoscunt, eundem et ipsi tamquam filii amant, ejusque dicto audientes sint, ac ei, cum id occasio postulabit inservant. Prudens sit, ac pacis amans, diligens, misericors, justique observator; seque ipsum tam in actionibus, quam in moribus exemplum subditis præbeat. Cum poena in aliquem animadvertet, in misericordiam semper, ac pietatem inclinet, illudque præ oculis habeat, quod similia, et ipse patrare potest, quodque in superioribus clementia uberioris, quam severitas fructus consequitur.

3. Præsenti nullo morbo laborare debet; ob quem communitatis actibus interesse non possit. Ægrotis omnia a medicis statuta præbebit tam ad conservandam vitam, quam ad validitudinem recuperandam. Congregatio ægrotorum curatori majorem in modum commendabit, ut erga ægrotos majori qua poterit charitate, patientia, ac diligentia utatur. Quod si nihil domi sit unde ægroti curari possint; nec qui mutuo det pecunias, præsto sit; domesticæ tum res magno etiam in pretio habitæ vendi poterunt.

4. Rector congregatis præbebit necessaria omnia in victum, et vestes; externas præbebit vestes, tunicas, sudariola, tabacum, chartam etc., neque ullo patiaturo modo, ut congregati necessitate adacti, lamentis, detractio- nibus, importunisque precibus neces- sarium aliquid a sæcularibus extundunt; imo ita potius ager, ut omni congregati temporalis solati cura lætitiã hila- res præ se ferant.

5. Diligenter curabit fidelium amorem, ac voluntatem sibi conciliare et conservare, quo unus alteri adju- mento esse possit. Sed et illud curare debet ne fidelibus iisdem spiritualis, quam illis debemus alimonia ullo modo desit, tam in frequenti missionum exer- citio, quam in confessionarii ministè- rio, cæterisque pietatis, ac religionis exercitiis. Subditos moneat ne cuius se- se severos præbeant; sed comiter ac ur- bane cum omnibus agant, idoneumque dent consilium, ac peculiari solentur amore omnes cum id necessitas, ac- rumnæque cuiusque postulabunt.

6. Cum ad superiorem spectet subditis facultatem dare, quo domo ad negotia comunitatis agenda exeant, vel etiam ad propria, vel aliena tractanda; curabit diligenter ut non nisi justam ac legitimam ob causam, et cum id nec- cessitas postulabit hujusmodi facultatem concedat. Nunquam tamen ultra tres dies hanc facultatem extendet; si enim longius temporis spatium fuerit nec- sarium, id se solo concedere non po- terit; sed quatuor una, cum discretis consilium habeat, oporteat nec ne po- stulatæ facultati acquiescere, quod si convenire statuerint, comunitatis sig- gillo tum patentes literæ obsignatæ pe- tenti attribuuntur; præsertim si remota in loca, vel ubi notus non est iter sit instituendus. Rector tamen per tres dies absens esse poterit: quod si longiori tem- pore ipsi opus erit, abesse tantum po- terit, vocalibus per scrutinii suffragia id approbantibus. Cum tamen morbo laborabit, quidquid a domus medico præceptum fuerit, omnino erit servan- dum.

7. Quo nimia fluxarum rerum cura ab spirituali progressu congrega- tos nostros non avocet, ad quem as- sequendum in congregationem admitti petiere: statuimus, ut nulla in mendica- tione (quæstua) præterquam olei, ac leguminum, longius, quam mensis tem- pus insumant. Qui vero rector aliud præceperit ab officio per menses duos amovebitur: nullo tamen modo ad hu-

jusmodi mendicationes subditos mittet, qui domesticis addicti sunt occupatio- nibus, nisi cum discretorum approba- tione. Reliquos vero tam ad mendica- tiones, quam ad quævis alia domus ne- goria mittere libere poterit, omnibus tamen, ut supra diximus, patentes li- teras attribuet.

8. In iis, quæ ad commune do- mus regimen spectant, v. g. de cibis, vestibus etc. Rector discretorum judi- cium exquirere non tenetur; verum quo pecuniæ aliquid elemosynæ nomine ero- get, vel aliquid de novo extruat, cu- jus sumptus sex scutatos nummos ex- cedat, eorum omnino judicium prius exquiret. Quod si sumptus ad viginti scu- tatos nummos creverit, extruendi ope- ris prius artifices audiantur; tum per scrutinii suffragia vocales consulantur: his enim, et similibus rector maiorem suffragiorum partem sequi debet sub pœ- na privationis ab officio.

9. Ad rectorem licet domus ad- ministratio spectet, nihil tamen poterit immutare, nec ullum comunitatis actum tollere, nec ullum etiam eidem formale obedientiæ præceptum impo- nere poterit, inconsultis discretis, eor- umque non habita approbatione. Gra- vioribus hos, difficilioribusque in reb- us in consilium adhibeat: poterit tamen justam ob causam subditorum cuilibet obedientiæ præceptum imponere; ac privatum aliquem a communibus on- eribus eximere, si aliquid inde ejus ad- ministrationsi bonum proficiscatur.

10. Ter in anno rector cellas, ac domus officinas inviset a primo, et quar- to discreto stipatus. Præterea id ipsum cum ipsi placuerit, ager vel solus, vel comitatus. Janitorem; vel quemvis do- mus ministrum, qui male muneri suo satisfecerit ab officio amovere poterit per aliquod temporis spatium: quod si, quo omnino aliquem ab officio amoveat, causam agnoscat; discretos prius certiores faciat, tum de eorundem con- silio, quod æquum censebit, ac secun- dum harum constitutionum statuta, exe- cutioni mandabit.

11. Præcipimus ut nullus supe- rior majus subdito cuius tam spiritua- le, quam temporale onus imponere pos- sit, quam his ab constitutionibus sta- tuatur; et cum gravi pœna in aliquem animadvertere debuerit, ut ipsi prius harum constitutionum caput de admissa agens culpa legere præcipiet, quo de- tractioes vitentur, reusque pœnæ cau- sam agnoscat.

12. Regimini expleto tempore, accepti expensive rationes ponantur, ac repertorium conficiatur: si rationes quadrabunt, de hoc ipso secretarius testimonium a visitatore in scriptum rectori dabit, si vero non constabunt, vel si rector communitatis bona clare pessumdedit, præter pœnas suo relatas loco, inhabilis præterea ad omnia congregationis munia habendus erit, dum a capitulari mensa iterum habilis non reddetur, quod prius, quam binæ prætereant electiones nunquam agendum erit. Rectore mortuo, primus discretus illius obibit munus ad electionem usque generalem, si ante sex menses hæc habenda erit; si vero ulterius erit protrahenda, visitator tum cum vocalibus intra dies quindecim novum eliget superiorem, qui interim domum regat, quique ab eïmo patriarcha confirmandus erit, quo vis ejus insit auctoritati.

## CAPUT IV.

*De domus præsentente, ejusque muniis.*

§. 28. I. In præsententem prudens sacerdos eligatur, et si fieri potest etiam confessarius. Munditiam hic ac nitorem domus accurabit: gravioribus aderit hospitibus, penes se in communes usus cartham, tabacum, filum etc. observata in arca asservabit, cujus clavem visitationum tempore, visitationum secretario tradet, et cum e domo prodierit, illi, qui domui præerit. Sabbatho quoque tabellam officiorum insequentis hebdomadæ construet, hebdomadarii, scilicet, duorum confessoriorum, missæ ad horam undecimam die dominica, ac festis, cantorum, lectoris, ministri mensæ, lucernarum curam gerentis, ac officii humilitatis etc, quæ in refectorio sabbatho post prandium legatur.

2. Rectore absente illius vices geret, sed illi erit subjectus. Facultatem congregatis concedet, quo prout præsens postulaverit necessitas, e domo egredi possint: id tamen tantum erit, cum rector, extra domum noctem egerit; nam si per diem rector, aut per diei dimidium tantum absens futurus sit hujusmodi facultatem tantum concedere poterit ad excipiendam ægroti cujusvis confessionem, ad morientibus assistendum, vel ad valde necessaria. Hæc vero de domus procuratore, congregatisque mendicationi addictis non intelligantur. Valde illi tamen commendatum volumus ne facile nimis hujusmodi fa-

*Boll. Rom. Tom. VI.*

cultates concedat. In omnibus sibi a rectore præcepta servabit, nec aliquid gravi sub pœna immutabit.

3. Si quod majoris ponderis negotium supervenerit, nihil prius aget, quam absentem rectorem faciat certiorum; quod si ita urgeat necessitas, ut nullam patiatur moram, tum præsidens una cum discretis, quid agendum sit constituent, si per eas res confici poterit: si vero ad vocales spectabit, tum visitator certior fiat, quo concilio præesse possit. Rectore reverso, illi de congregationis, tam spirituali, quam temporali regimine rationem reddat, ac de omnibus etiam, quæ in congregatis animadversione, ac remedio digno observabit. Juxta antiquitatem in communitatis actibus locum tenebit; cum vero visitator, et rector, non aderunt, præerit ipse, quin statutos prætergrediatur limites. Ipsi tum prompte tamquam proprio superiori congregati omnes obedient.

## CAPUT V.

*De quatuor discretorum muniis.*

§. 29. I. Illi esse discreti veri debent, ut graviora communitatis onera sustinere possint, dum consilio, judicio, ac industria arduis omnibus in negotiis congregationis rectori adjutores esse debent, qui sine illis validi nihil aget, non in rebus tantum diversis jam in locis harum constitutionum expositis; sed in omnibus illis etiam, quæ ad spirituale, ac temporale congregationis bonum spectant, rara si sint, aut gravia. Hanc ob causam hoc in munus eligentur prudentiores, religiosiores, diligentiores, ac doctiores. His tantum insistendum erit, nam ex antiquioribus licet non sint, debent tamen nihilominus præoptari, quin seniores congregati ullam sibi injuriam irrogatam credant; electio enim hujusmodi non ab annis, sed a majoribus animi dotibus pendere omnino debet.

2. In fine mensium supputationibus aderunt, quibus si quadrabunt, suum in fine nomen apponent. Rectorem prudenter, ac tamquam subditi submisce admonebunt non de culpa tantum quavis in eodem animadversa in iis, quæ ad illius spectant munus, sed gravioribus etiam si qua adnotaverint. Præter hæc et alia suis relata locis, hæc etiam præstabunt.

3. Discreto primo = Secretarii = titulus attribuetur. Res ad communita-

B b b

De domus præsentente, ejusque muniis.

De quatuor discretorum muniis.

tem spectantes scribet, ipseque tamquam notarius, publicam fidem faciet. Ipsius erit in librum referre brevia, ac apostolicas constitutiones; et quævis alia indulta, gratiæ, et privilegia tam ecclesiastica, quam sæcularia, quæ congregationi concedentur, et scripta omnia tabularii conservare, cujus clavem penes se asservabit. Hoc loci valde illi commendatum volumus, ut omnem adhibeat diligentiam, ne scripta hujusmodi deperdantur, aut pereant; cumque munus obierit, omnia interposito repertorio, accipiet quo eadem ratione successori suo tradere omnia possit. Horum scriptorum non nisi exempla dabit. Ad illum etiam spectat supputationum, et consultationum acta, literas, ac cætera omnia a rectore inscribenda scribere. Repertoriis demum rerum domus ministris traditarum in officinarum usus suum nomen apponet.

4. Discretus alter = Præfeci spiritualis = titulo gaudebit. Huic congregatorum laicorum confessiones excipiendi, quoties ipsi id petierint, onus imponimus; novitiorum vero, ac chori-starum extraordinarii confessarii loco semel tantum mense quolibet excipiet, ad quem charitatis actum magister ipsum vocare teneatur. Tertius, et quartus discretus pro nostrarum legum observatione vigilabunt, ne aliquid detrimenti capiant. Communes, ac privatas culpas animadvertent, de quibus superiorem certiore facient, quo remedium iste idoneum adhibeat. Id tamen non pravo abrepti affectu, sed justitiæ, Deique amore ducti agant. De privatis occultis benigne reos admoneant, quo illatum vulnus charitatis foveant delinimento: rei vero hujusmodi monita submisso, gratoque animo accipiant.

5. Præsidentis absentis vices primus discretus geret; hoc vero absente, suo ordine reliqui. Quod si quatuor omnes absint, tum vocalium congregatione antiquior id muneris obihit, et cæteri hoc absente, eodem modo ac de præsidente diximus. Discretorum aliquo mortuo, intra mensem visitator una cum vocalibus alium eligat, qui ab eminentissimo patriarcha erit confirmandus.

#### CAPUT VI.

##### *De visitatoris, rectoris, ac discretorum canonicorum electionibus*

De visitatoris, rectoris, ac discretorum ca-

§. 30. 1. Cum experimento constet religiosarum familiarum ruinam ab immodico imperii desiderio originem du-

cere: hinc statuimus, ut congregatus nullus possit per se, vel per alium quo aliquid in congregatione obtineat munus, alicujus suffragium petere, vel largitione conciliare. Quod si aliquem fuisse constabit vel per se, vel per alium, quo vel ipse, vel quivis alius munus quodvis in electione obtineret; si duobus id *ab oculatis testibus fide dignis, penitusque sibi convenientibus* probatum fuerit, *id licet diversis tempore, et occasione* asserant; reus *gravissima pœna punietur*, et ad munus quodvis erit inhabilis. Quam maxime vero congregati nostri animadvertant, ab hujus observatione legis congregationis tranquillitatem, ac concordiam pendere; ideoque ab illa etiam, quæ majorem in modum congregationis conservationem, incrementum ac felicitatem contineat, originem ducere.

2. Die tertia decembris superior vocalibus indicet in fine matutini, ut insequentibus tribus diebus diligenti cura, et studio orationi, aliisque spiritualibus exercitiis vacent, suasque sese in cellas recipiant quantum cujusque munia patientur, quo quæ proximis in electionibus in majorem Dei cessura sunt gloriam, Deus ipse inspiret; sed ita secretum servabunt, ut si quid sentiat mediate vel immediate effuderint si id capitulo constabit, inhabiles omnino erunt ad suffragium eodem in capitulo ferendum.

3. Mensis ejusdem die septima visitator missam de Spiritu Sancto celebrabit, quo suo ipse lumine suffragantium corda illustret. Tum minoribus horis persolutis campana ad capitulum signum pulsabitur, vocalesque domum ad id designatam petent. Visitator deinde hymno, versiculo, ac oratione propriis divino Spiritu invocato, brevem ad vocales habebit concionem, in qua omnibus auctor sit, ut proxima in electione suffragia secundum Dei voluntatem, et prout congregationis bonum spirituale exigit, fiant, nec vel proprio ab amore, vel ab impotenti carnis affectu sese abripi sistant. Concione absoluta præcipiet, ut legatur cap. *Quia propter de elect.*, quo omnia in illo statuta serventur.

Illico capitulares suo ordine ad visitatorem eligendum suffragia ferre incipient. Illud tamen advertendum, quod suffragia in scriptis ferre debent, ac in illis quisque suum ita nomen scribere, ut complicata charta a nemine legi possit. Qui capitulo præest duobus cum scrutatoribus, qui primi

nomine electorum electionibus.



discreti erunt ( sed primus secretarii munus obibit ) schedulis coram omnibus ad examen revocatis , in tabellam nomina , et quæ quisque suffragia obtinuit , referent , quod si major pars ad aliquem eligendum confluerit , præsidens dicet. *Electionem confecimus : visitator erit N. qui suffragia obtinuit . . . et quot numero sunt dicet.* Verum si major pars ad aliquem eligendum non confluat pari etiam ratione scrutinium adet , et dicet = *Electionem non confecimus ; nam A tot. habuit suffragia , B. tot. , et C. tot. , et quot quisque habuit , declaret.* Idem deinde agendum erit , usque dum major pars ad aliquem eligendum concurrat : quo facto , electionem prout jam diximus , edet. Eodem modo rectoris electio conficienda est , tum primi discreti , secundi deinde , ac tertii similiter , et tandem quarti. Electis omnibus , præsidens jurejurando interposito omnes promittere præcipiet quod fideliter , ac juxta harum legum statuta suo quisque in munere se geret.

5. Secretarius deinde universa communitate signo ad id campana facto , collectam electionem edet ; tum vel alta et concordii voce , vel cantu adhibito præcinet hymnum = *Te Deum laudamus* = in gratiarum actionem ; quo absoluto universi ab novis visitatore , ac rectore benedictionem accipient. Rector eodem tempore in regiminis possessionem collocetur , illique eleganti superpositum lauci sigillum tradatur. Capituli præsidens ( si ita visum fuerit ) eodem tempore ad eum brevem habeat concionem. Siquis vero electorum humilitate , modestia , vel quavis alia ductus ratione ab mandatis sibi munitis liberari petierit : præcipimus ut excusationes hujusmodi non admittantur , quandiu certa , et canonica causa a capitulo judicanda non afferatur ; et sub pœna obedientiæ munus ad quod electus fuit , obeat : commune enim congregationis bonum , et spiritualis incrementi spes hujusmodi privatorum causis præhaberi debent.

#### CAPUT VII.

*De vocalibus , qui ad electionem visitatoris , rectoris , ac discretorum convenire debent.*

De vocalibus qui ad electionem visitatoris , rectoris ,

§. 31. 1. Cum mirum inter se hominum differant sententiæ , et quisque sui tenax sit judicii : quo vitium aliquod vitemus , quod in nostras electiones

*Bull. Rom. Tom. VI.*

irrepere potest , statuimus ut vocales <sup>ne discretorum conveniri debent.</sup> sacerdotes duodecim , nec plures numero sint , sacerdotibus deficientibus , qui antiquiores in congregatione erunt adiscantur , quique majoribus animi dotibus fuerint præditi. Præcipua tamen ratio tum habenda erit choristarum , non sacerdotum licet juniores sint , si æque bonis animi ex rectoris , ac discretorum sententia polleant , et quatuor saltem per annos in congregatione jam vixerint. Visitator qui idem capituli præsidens erit decretorio tantum voto , cum paria erunt suffragia gaudebit ; sed quo melius res constet : capitularis mensa ad canonicas electiones , consilia , ac vocalium his ab constitutionibus vocalium consultationes e viris tredecim componi debet , ex præsidente scilicet ac vocalibus duodecim , quo in numero rector quatuor cum discretis erunt recensendi.

2. Visitatoris , rectoris , ac discretorum electio in trienarii finem haberi debet , et quanto ocius ab eō patriarcha confirmari : interea capituli præsidens domui præsit. Insequenti die post prandium ( ni aliquid impediatur ) vocales per secreta suffragia alba , et nigra eligantur novus visitator , jam confirmatus juxta ordinem antecedenti propositum numero proponet. Hac vero in electione , quæ canonica non est , congregati omnes , qui tres congregationis annos expleverint , jus suffragii habebunt. Deinde rector una cum discretis præsidem eligent , magistrum novitiorum , ac ejus adiutorem magistrum cæremoniarum , examinatores , bibliothecarium , ædituos majorem , et minorem , cæterosque his ab constitutionibus præscriptos domus ministros. Consultationis hujus , seu electionis suffragia sese inter conferant , secreta enim non sunt ; nam majori consultationis commoditati , ac brevitati consulendum est , plures enim eligendi sunt. Minime tamen aliis in consultationibus , ac collationibus eadem atque in hac ratione agendum erit.

#### CAPUT VIII.

*De modo majoribus de rebus consultationes instituendi.*

§. 32. 1. Cum res major evenerit , de qua juxta leges cum vocalibus consultatio instituenda sit , rector visitatorem faciet certiore , quo capitulari convocata mensa , quid agendum sit decernatur. Omnibus collectis visitator ,

De modo majoribus de rebus consultationes instituendi.

divino invocato spiritu, antiphona, versiculo, ac oratione propriis, rem, de qua consultatio habenda est, breviter, et clare esponet; quisque deinde, quid sentiat palam faciat, quo felicem ad exitum perducatur. Nullus tamen vocalium sententiam suam, multoque minus superiores, aperiant, ne subditos suam in sententiam trahant. Cæterum dum quis loquitur (juniores primi semper erunt) nemo illum argumentationibus, aut objectis interpellat; neque qui præerit concertationes, quæ modestiæ prætergrediantur fines, vel ad veritatem assequendam non conducant ullo modo admittet.

2. Consultatione perfecta visitator rem omnem ad ea redigat verba, quibus vel assentiendo, vel dissentiendo responderi possit. Id responsionis vocales dabunt per secreta suffragia alba, aut nigra ne unquam, quæ cujusque fuerit sententia sciri possit. Quidquid pluribus ab suffragiis fuerit constitutum, illico in librum ad id designatum a discreto primo referatur; ac tam de re, quam de sententia circa illam a consultatione optata, nihil in consultationem non adhibiti omnino sciant.

3. Idipsum æque præstandum erit in consultationibus rectoris una cum discretis: illud tamen discriminis interesse poterit, quod si quis deerit discretus, ejus tum vices sacerdos vocalis congregatione antiquior supplebit: quatuor enim semper rectori adjuncti dari debent, quo una cum illo supputationibus, novitiorum acceptioni, majoribusque rebus quibusvis, et extraordinariis adsint, ut jam diximus cum de discretis sermo fuit. Hujusmodi vero in consultationibus rector suffragii jus non habebit, nisi cum paria numero erunt suffragia.

## CAPUT IX.

### *De magistri novitiorum munitis*

*De magistri  
novitiorum  
munitis.*

§. 33. 1. Quamplurima eaque magis ponderis in magistri novitiorum requiri debent, ab illo enim communitatis universæ pendet institutio. Nec illius doctrina per tres tantum annos perdurabit, sed in animis penitus discipulorum in perpetuum asservari debet, quo hi eandem alios doceant. Igitur majorem in modum diligentiam commendamus in ejus electione adhibendam; is enim esse vir debet, qui hæc habeat adjuncta.

2. Prudens esse debet, ac mysticis in rebus valde versatus, in exercitio virtutum exercitus, sciens, cupiditatum refræctor, cruciatibus corporis addictus, quo proprio exemplo infirmos erigat, valentes confirmet, pluraque exemplis, quam verbis doceat. Divinum magistrum præ oculis habeat, qui et quæ fecit, docuit; et quæ docuit, fecit.

3. Illius munus erit novitios, et choristas docere, ac instituere in iis, quæ ad spiritum, virtutesque instituto nostro necessarias acquirendas conducunt; nec de austera vitæ nostræ ratione loqui omittet. Id tamen licet ad omnes spectet, illis tamen, qui sacris obeundis missionibus sunt designati, potissimum convenit: hi enim tres adversus fortes hostes, mundum, diabolum, et carnem bellam gerere debent. Hunc in finem magister in horum corda alte sanctæ humilitatis bonum instillet; propriæ voluntatis negationem doceat, obedientiam, silentium, solitariam vitam agere, Deum assidue præ oculis habere, quaque ratione sese mentali in oratione debent exercere. Sed uberores fructus colliget, si nedom proprio exemplo, sed verbo etiam, doctrinaque clara, et plana omnes instituat, propriæ cujusque indoli sese accommodans.

4. Eisdem distincte exponet in quo mentalis oratio sita sit; quæ illius partes; qua ratione orandum, et quoniam a meditatione fructus colligi debent? Cuique ad orandum capita, vel puncta designabit, cujusque status, progressus spiritualibus in rebus habita ratione. In cæremoniis etiam tam ad chorum, quam ad altare spectantibus novitios instituet; et quem modum celeritatem, ac modestiam dnm communitatis intersunt actibus, adhibere debeant, omnes etiam docebit.

5. Diligenter curet, ut sæpe leges nostras legant, quo memores illarum facilius observationem accurrent, nedum in novitiatu, sed per omnem etiam vitæ cursum. Ad hanc tamen legum observationem novitii advertant animam virtutum assequendarum magis amore incensi, Deoque placendi ducti desiderio, quam vel reprehensionis cujusvis, pœnæve metu acti.

6. Haud facile magister novitio cuivis, aut choristæ alia præter communitatis exercitia concedet, sint quamvis virtuti addicti quin prius videat ipse, sicut nec ne ad id concedendum causæ idoneæ. Ab hujusmodi sæpe con-

cessionibus magna proficiuntur damna, uberioresque fructus ab communium rerum exercitio colliguntur, cum peraguntur accurate, in hoc enim spirituale in virtutibus incrementum situm esse omnino est credendum. Novitiorum magistro congregatus sacerdos = adjutoris = titulo attribuat. Hic in perfectionis exercitiis valde sit versatus quo magistro adjumento sit, illiusque vices agere possit. Huic prompte omnes novitiatui addicti obediant.

## CAPUT X.

*De caeremoniarum magistro*

De caeremoniarum magistro.

§. 34. 1. Quo Dei cultus, et omnes communitatis nostrae functiones exacte administrantur, prompteque, et graviter, rector una cum discretis congregatum sacerdotem eligat, qui caeremoniarum magistri munus exerceat. Laudabilibus hic moribus praeditus esse debet, ac in divinorum officiorum directione apprime versatus. Rectoris erit, ut huic obediant, quam saepissime omnes admonere; nec ullus illi, vel minimum repugnabit illis in rebus, quae ad sacram disciplinam, exactamque divini cultus administrationem spectant. Hac in re superior idem subditis exemplo sit, caeremoniasque ad unam omnes exequatur, quae magister quacumque ecclesiastica in functione praecipiet.

2. Officii, ecclesiasticisque functionibus omnibus magister caeremoniarum assistet, cum in choro, aut ecclesia nostra celebrantur, et necessaria omnia ante praeparabit, congregatos laicos instruet, et sacris ordinibus recens initiatos antequam ad solemnem missam accedant, id tamen laboris, antequam primum ad celebrandum accedat ad novum sacerdotem in caeremoniis perfectae celebrationi inserviatibus instruendum praesertim ponet. Sed primum sacrum nullus faciet, qui a caeremoniarum magistro approbatus non sit.

3. Tabellas extraordinarias majoribus in solemnitatibus construi solitas, ipse construet, sed superiorem ante, majoremque cantorem consulat de rebus hujusmodi in solemnitatibus peragendis, ac de congregatis, qui in cantores chori, ac in altaris ministros erunt designandi; quae movere ita erunt distribuenda, ut utrobique justus ministrorum numerus inveniat. Caeremoniam ullam nostri instituti propriam

non innovet sine expressa rectoris facultate.

## CAPUT XI.

*De majori ac minori aedituo, eorumque munitis*

§. 35. 1. Major aedituus sacerdos erit, et si esse poterit etiam confessarius. Divinum cultum, templique munditiam majorem in modum accurabit. Sacramenti eucharistiae, tabernaculi nitorem, ac ornatum peculiari diligentia curet. Sacrarum formularum renovationem feriis quintis procurabit, aestatis tempore decimo quinto quoque die; hyemis vero octavo. Hunc ad actum cum hebdomadarius Christi corpus, et sanguinem sumpserit, ipse campana signum fieri praecipiet, quo in choro collecti omnes in fine missae de more = Tantum ergo = cantant. Annuam infirmorum olei renovationem procurabit, sed ut decenter idem asservetur, ipsius curae erit. Cum e domo prodierit penes socium claves, aut penes superiorem relinquat. Sacras vestes, ecclesiae suppellectilem, ac vasa ordinatim, ac tute custodiet, quaeque etiam ad sacristiam spectant: horum tamen nihil sine superioris facultate commodabit.

De majori, ac minori aedituo, eorumque munitis

2. Ornamenta ex rubricarum praecipitionibus mutabit, ac omnia ad celebrandas missas necessaria parata habebit, pro quibus offerri debeant missae in tabella exponet, quotque jam eadem pro causa celebratae fuerint, in librum quem ad id designatum habere debet referet; ac in eodem etiam quot missas celebrandas acceperit pari claritate adnotabit. In cujusque mensis fine superiori, ac discretis de acceptis eleemosynis missarum rationem reddet, ac de omnibus etiam a semetipso expensis. Caeterum si quid harum pecuniarum praeter ordinarios, et consuetos sumptus expendendum erit, ne id antequam superiorem faciat certiore modo agat.

3. Alium praeterea habebit librum, in quem referet diem, mensem, annum, ac locum, quibus congregatorum nostrorum quisque, et quivis alii nostris in ecclesiis fuerunt sepulti. Cum munus dimiserit, repertorio interposito, tradet, quae eodem modo accepit. Siquid vero ornamentorum, aut suppellectilis de novo factum fuit; vel nimio aliquid usu, aut quavis alia causa inutile existimatur, de his etiam pari modo reddet rationem. Secreto rectorem

certiorem faciet, cum congregatorum aliqui, vel modeste minus, aut inquiete in ecclesia, vel sacristia se gerent, ac pari modo magistrum admonebit de omnibus, quæ tam novitii, quam choristæ animadversione digna iisdem in locis gesserint, quo sua cuique laus, aut pœna attribuat.

4. Diebus ad id designatis eucharistiam congregatis ministrabit illis horis de quibus 1. p. cap. 17 egimus mentionem. Ægrotis etiam (ni aliud superior præcipiat) eucharistiam ministrabit; minime tamen cura per modum viatici fuerit ministranda, tum enim id agere proprio jure ad rectorem spectat, vel ad eum qui ejus egerit vices. Novitiis deficientibus congregatos mane a somno per cellas excitabit postquam ad id campana signum factum fuerit; idemque in fine silentii vespere munus peragat.

5. Consuetas ad noctem claves superiori tradet; quoque melius expeditiusque muneri suo incumbat, illum ab horis minoribus, vespere, completorio, ac oratione una cum aliis in communi persolvendis liberamus. Quod si, quod aliud privilegium sibi necessarium existimabit ad superiorem recurrat, qui illi haud difficilis esse debet. Ædituo socius laicis attribuat, qui in necessariis illi adjumento sit, illique pareat in omnibus, quæ adversus conscientiam non erunt. Socii hujus præterea muneris erit campanas pulsare, prout in cap. divisionis horarum statuitur, ecclesiæ lucernas, ac munditiam accurare. Confessarios accersere, ac superpelliceo indutus conventuali missæ assistere, cum qui id agat, novitius, aut chorista non aderunt. Verum cum adjutore indigerit, superiorem adeat, cui commendatum volumus, ut prompte provideat.

## CAPUT XII.

### *De janitore, ejusque muniis.*

§. 36. I. In janitore probatæ prudentiæ, modestiæ, ac charitatis congregatus semper eligatur. Hujus munus erit januæ semper assistere, vel prope januam, quo prompte, campanula a quovis facto signo, possit accurrere. Januam clausam habeat, cumque fuerit necessarium eam reseret; prius tamen per craticulam, quis pulset inspiciet. Urbane, leniterque cum omnibus agat; ineptas impediens confabulationes: cum feminis vero quam minimum temporis perdet.

De janitore,  
ejusque muniis.

2. Siquis congregatum aliquem quæsierit, ne tunc prius, quam superiorem admonebit, illumve superiore absente qui ejus vices egerit. Literas nullas sine superioris facultate tradet. Superiori vero commendamus, ne hujusmodi detineat literas, cum de rebus ad conscientiam spectantes erunt. Si quid eleemosynæ ad januam afferatur, vel munusculum, aliquod congregato cuivis, superioribus etiam tradendum; si exculenta erunt, illico janitor omnia congregato pœnus custodi tradat; deinde superiorem admoneat, ac de superioris facultate congregatum, ad quem munusculum mittebatur, quo is mittenti gratias agere possit. Hujusmodi eleemosynæ, aut munuscula in omnes dividantur: quod si ad ægrotorum usus idonea erunt, hi omnibus erunt præhabendi. Si qua vero offeratur pecunia, illico ad superiorem afferatur, quo uti suo loco dicendum erit, asservetur.

3. Cum cubitum omnes ire parant januæ claves tradet. Januam post solis occasum non reserabit, nisi a socio comitatus, qui si fieri potest, janitori perpetuus attribui debet, quo melius administret munus. Majorem in modum lenem, ac affabilem se præbeat iis, qui vel confessarium petunt, vel tristes, aut ærumnis oppressi nostrorum aliquem quæruunt, qui aliquod eorum laboribus solamen adhibeat spirituale, illico confessarium advocabit. Siquis ad januam nostram e regia familia, cardinalis, primarius patriarchalis ecclesiæ canonicus, archiepiscopus, aut episcopus accesserit, signum dabit, quo universi ad eos debito modo excipiendos accurrant.

4. Valde commendatum volumus congregatis, quibus munus eleemosynas pauperibus distribuendi mandatum fuerit, ut quoscumque ad januas nostras accesserint, pauperes benigne, ac patienter excipiant, illudque præ oculis habeant, Jesum Christum ab illorum quocumque representari. Hujusmodi pauperibus, quæ e communitatis prandio supererunt, reliquias distribuant quotidie, prout 1. p. cap. 16 jam diximus. Cæterum dum hæc distribuuntur reliquæ, superior, aut novitiorum magister, si ita visum fuerit, præcipiet (saltem in feriis quintis) ut novitiorum aliquis ad pauperes conciuiculam habeat, christianam institutionem omnes doceat, ac ad sacramentorum frequentiam hortetur.

## CAPUT XIII.

*De ægrorum curatore, ejusque muniis.*

De ægrorum  
curatore, ejus  
que muniis.

§. 37. I. Ægrorum curator, congregatus misericors, affabilis, ac patiens erit; peculiari diligentia, valetudinarii munditiam, ac nitorem accurabit, quodque lintearia, ac laneæ rei nihil ægrotis desit, ita ut cum plures numero ægroti fuerint, vel ita postulaverit morbus, necessaria hujusmodi omnia præsto sint. Hunc in finem in idoneo valetudinarii loco asservari hæc, et quævis alia in valetudinarii usus necessaria debent; quæ omnia ægrorum curator diligenter servabit. Cum suo solus satis munio non erit, a superiore adjutorem petat.

2. Medicamenta aliquot magis usitata, quæ urgenti necessitate, ægrotis adhiberi possint, in promptu habeat. Si quibus indigerit, rectorem adeat, quo prompte de omnibus instruat. Majorem in modum commendatum volumus, ut ægrotis diligenter adeo, ac abunde necessaria omnia ministrentur, ut nullus omnino justæ querelæ locus sit.

3. Cum id necessitas postulabit medicum acciri præcipiet, eique dum ægros invisit, aderit, quæque præscribit diligenter animadvertat, quo accuratissimæ executioni omnia mandari possit. Signa, aut symptomata quævis in graviter ægrotantibus animadversa medico exponat; idemque aget, cum congregatorum aliquis acrem est mutaturus, vel thermarum aquis extra domum uti debuerit; quæ omnia non nisi medici domus in scriptis habita fide peragi poterunt.

4. Cum ægrotus quivis ad extrema vitæ devenerit, ægrorum curator superiorem faciat certiolem, quo vel per se, vel per confessarium blandis verbis, paternumque amorem redolentibus ægrum ab vivendi spe detrahant, ac de imminente periculo admoneant, et ad animæ salutem procurandam inducant. Æger, cum sanctissimum Viaticum accipiet, fidei actum efficiet; deinde ab universis enixe petet, ut omnia quibus malo ipsis in universa vita exemplo fuit sibi ignoscant; superioremque submissis precibus rogabit ut eleemosynæ loco attritam sibi vestem, sepulturam, quæque pro defunctis congregationi peragi solet, suffragia concedat.

5. Ægrotum morti proximum incomitatum nunquam linquet, præsertim cum ad extrema devenerit, imo supe-

riorem moneat, quo is extremæ unctionis administrato sacramento, ut a rituali Romano præcipitur, binos, binis quibusque horis congregatos ad assistendum emorienti designet. Hi vero fraterno ducti amore, verbis, sententiisque meliori, quo poterunt, modo ægrum inducere conentur, ut se sanctissimæ Dei voluntati credat. In ejus etiam cor cæli desiderium instillare curent; acerbosque carnis dolores patienter ferre, ac mortis hilariter tributum solvere hortentur.

6. Extremo in agone ægrotato constituto, signum ægrorum curator campana faciat, quo universa adsit communitas, quæ quam celerrime debet concurrere, flexisque omnes genibus, officium commendationis animæ persolvent, Deumque enixe rogant, ut per intercessionem beatissimæ virginis Mariæ matris nostræ, ac P. N. S. Pauli emorienti adsit, eumque defendat, peccata dimittat, et finalem gratiam concedat. Commendatione absoluta superior duas in partes universos distribuat: pars altera, sacerdotes scilicet aliquot in valetudinario manebunt, psalmosque Pœnitentiales recitabunt: pars vero altera illico ad chorum pergant, ibique orabunt ac a Deo petent, ut emorienti illa in hora adsit; ac eadem etiam pro causa rosarium beatissimæ virginis recitabunt.

7. Ad emorientis caput congregatus sacerdos suavissima Jesus et Mariæ nomina repetet, fidei item, spei, charitatis, ad contritionis actus idonea voce emorienti præbit, eidemque aptis temporibus peccatorum absolutionem impertiet. Valetudinarii curator, vel alius a superiore designatus mortuum induet, qui ad capituli domum asportari debet. Inde non extrahetur, donec præsentis cadaveris, ac sepulturæ uti suo dicemus loco, officia non persolvantur.

## CAPUT XIV.

*De penus, ac refectorii curatore, et qua ratione in refectorio agendum sit.*

§. 38. 1. Cum a recta rerum administratione commune pendeat bonum; majorem idcirco in modum congregato penus curatori commendatum volumus, ut in exculentis, et poculentis conservandis diligentem adhibeat curam, eademque recto ordine in omnes distribuat. In librum acceptum, expensum-

De penus,  
ac refectorii  
curatore, et  
qua ratione in  
refectorio  
agendum sit.

que referet, ac ad mensis cuiusque finem de omnibus rationem reddet procuratori, iste vero superiori. Lenem ac misericordem omnibus æque congregatis se præbeat; suoque in munere administrando prudentiam quam poterit maximam adhibeat. Penus, culinæque munditiei studeat, hisque officinis necessaria provideat; si quid vero deest, opportuno tempore superiorem moneat. Cibos ad opportunas horas apparabit, et quo universi, prandio absoluto, lances, patenasque, reliquamque suppellectilem lavare possint aquam in promptu habebit. Minime patiatur, ut quivis congregatus ad prandium, aut cœnam in culina edat.

2. Refectorium etiam ad statutas horas paratum habeat, studeatque ne quid necessarium desit. Sabbatho quovis rectorium verret, novitiisque, et secundo cantore deficientibus vascula ipse aquæ inservientia lavabit, ni id muneris rector alii mandabit. Cœterum universi dum in rectorio agunt sileant, et quam modeste poterunt, se gerant: abstinentiæ etiam studeant, nec ullo gulæ vitio dent locum. Una cum novitiis magister separatam ad mensam, accumbet, quo ipsos modestiam, religiosamque humilitatem doceat. Mensa alia designabitur, ad quam qui carnis vesci indignerint, accumbent, quovis etiam superiore non excepto. Statuimus ut nullo mantili mensæ sternantur, cum congregati tantum accumbent, id tamen honoris permittitur, cum graves aderunt hospites. Qui hebdomadaria obeunt munia, sabbathis omnibus culpas dicent in rectorio, quas in muniis administrandis admisissent eidem novitiis secundis, quartis, ac sextis feriis agent, ni festi hi dies erunt, aut Eucharistiæ ad sacramentum accipiendum designati. Primæ mensæ religiosi tantam viri, sæcularesque primi nobilitatis ordinis, ac eximio in aliquo honoris gradu constituti adesse poterunt. Secundam ad mensam silentium æque ac ad primam servetur.

#### CAPUT XV.

##### *De hospitum, vestiumque curatore.*

De hospitum  
vestiumque  
curatore.

§. 39. 1. Congregato hospitum cura demandetur, qui silentii sit amans, ac misericors quo illis pro cuiusque dignitate præbeat necessaria, bono exemplo sit. Ad illius munus spectat hospitum cellas, ac vestiarius curare, quod superior necessariis omnibus instruet.

Rector hospiti cuivis, ut per dies octo moras apud nos trahat facultatem concedere poterit, per dies vero triginta, non nisi de discretorum sententiâ idem concedat: quod si per longius tempus huiusmodi facultas concedenda erit, vocales consulat, quibus commendatum volumus, ut huiusmodi in negotio quam prudentissime se gerant, ne vel religiosæ vitæ ratio aliquod detrimenti capiat; vel male habitii hospites a nobis alienentur. Idem hospitum ac vestiarii curator interiores congregatorum vestes, ut laventur conficiantur, ac reficiantur curabit, quas deinde, cuique suas, prout apposita monstrabunt signa, tradet. De aliis administris huius muniis huius p. 2. cap. 19. agendum erit. Interea rector cum discretis illud animadvertant, quod si binis his muniis administrandis congregatus unus non erit satis, id oneris duos dividat in congregatos, quo melius utriusque muneris administrationi consuletur.

#### CAPUT XVI.

##### *De procuratore, et emptore.*

§. 40. 1. Domus procurator congregatus erit diligens, acri mente præditus, intelligens, et affabilis. Illius munus est eleemosynas in librum relatas colligere: superioris facultate habita necessaria in penus, communesque usus emere: constitutosque a superiore terminos rebus in emendis non præterire.

De procuratore,  
et emptore.

2. Penus curatori mensis initio communes in expensas pecunias aliquot dabit, et prout jam diximus ab eodem expensi rationem accipiet. Has vero rationes procurator una cum rationibus ad illius munus spectantibus in librum (præsente rectore ac discretis) exactas referet, quo a visitatore, visitationis tempore examinari possint. Quod si quadrabunt, illas visitator testimonio ab secretario suo scripto, ac ab illo inscripto approbabit.

#### CAPUT XVII.

##### *De bibliothecario.*

§. 41. 1. Congregato docto, ac in libris versato rector una cum discretis bibliothecæ curam mandabit. Hic penes se clavem habebit, et conjuncte librorum conservationem accurabit. Libros alphabetico ordine disponet; quo negotio nullo inveniri possit.

De biblioteca  
rio.



2. In ordinem materias, ac facultates rediget, earumque syllabum construet, quo missionarii, et confessarii quæ voluerint, quam facillime inveniunt.

3. Cum quis libro quovis indigerit illum a bibliothecario accipiat, qui prompte dabit; sed tam librum quam diem quo librum accepit, adnotabit, sumque adnotationi nomen apponat; hujusmodi vero adnotatio, iterum in bibliothecam illato libro, deleatur. Congregatis laicis pios tantum libros bibliothecarius dabit, chronicas scilicet, de ecclesiastica historia agentes, et hujusmodi alios, adnotationemque etiam, prout jam diximus, et ipsi scribent. Altera etiam bibliothecæ clavis penes rectorem sit, quo ipse cum ita postulaverit necessitas, congregatis adjuvamento esse possit.

4. Bibliothecarius in congregatorum usus ad manum atramentarium, et necessaria reliqua in bibliotheca semper habebit; si quibus vero indignerit domus præsidem admoneat, qui illico necessaria omnia præbere teneatur. Bibliothecam sæculares non ingrediantur, exceptis illis, qui in dignitate sunt constituti, rectoris prius tamen habita facultate. Intra bibliothecam quæstiones nullæ, aut contentiones excitentur, ne congregati alii mentem distrahant dum necessariis incumbunt.

#### CAPUT XVIII.

##### *De cellis, earumque supellectile.*

De cellis, earumque supellectile.

§. 42. 1. Cum ex legibus nostris pauperem vitæ rationem sequi, ac omnia quæ a sæcularibus magno digna existimantur pretio contemnere; majorem curabimus in modum, ut cellæ nostræ ita sint pauperes ut olim sepulturæ erunt. Jesu Christi ex ære confectam imaginem congregati nostri habebunt, quæ ipsis instar libri erit ad præstantiores christianæ, perfectæque vitæ doctrinas addiscendas, quæque ab omnibus tamquam speculum, ad ordinandum vitæ actiones consuletur. Hac ergo ex imagine humilitatem, patientiam, paupertatem cæterasque virtutes, quarum Dei filius nobis exemplar, et magister esse voluit, discent.

2. Imaginibus carthæ impressis nulla tamen circum corona ornatus ad cellarum parietes exornandas uti poterunt, e quibus una beatissimam Virginem quam in magistram, et patronam eligent tam in vita quam in mor-

*Bull. Rom. Tom. VI.*

te, repræsentabit; reliquæ vero sanctos aliquos, qui magis cuique cordi erunt. Mensulam quisque suos in usus habebit, plateum scrineolo instructum (scansia con tiratojo) aperculum ad appendendas vestes, et scamnum. Cujusque lectus hisce componetur: culcitra, ac pulvinari palea confectis, ac duobus stragulis, quæ omnia ut munditiei ratio habeatur, tabulato imponentur. Cæterum ægrotis lintea, et culcitra lana referta præbeantur, nihilque illis desit ex iis, quæ charitas parere potest, prout jam in cap. de curatore ægrorum dictum manet.

3. Libros aliquot de superioris facultate habeant, minime tamen superior illos profanos libros legere concedet. Hujusmodi hi libri sunt = fabulosæ historiæ, comediarum, equitumque fictorum ad mulcendas aures, fictæ narrationes. Nulla vero ratione historiarum lectionem, vel quævis alia de civilibus agentia scripta superior prohibebit, ex horum enim lectione quamplurima missionum ac confessionarii exercitio necessaria eruntur.

4. Esculentum, aut poculentum in cellis nihil habeant. Clavi ad obsevandam cellæ portam non utantur, nec gravi sub pœna, sine superioris facultate alter intra alterius cellam ingrediantur; et eadem etiam sub pœna mandamus, ut nullus e fenestris cum publicam viam prætereuntibus sermones immisceat; multoque minus ad eandem oblectamenti causa assideat. Bylicis lucerna nulli permittatur; neque hæc ærea erit, sed vel ferrea, vel e ferrea lamina stanno obducta (latta). Cum ab una ad aliam cellam migrabunt nihil e primæ cellæ supellectile inde auferent. Capituli hujus valde omnibus observationem commendamus.

#### CAPUT XIX.

##### *De vestibis et calceamento.*

§. 43. 1. Pauperes spiritu beatos esse ait Christus. Hujusmodi paupertas non de anima tantum divitias respiciente debet intelligi, sed de externo etiam ornatu paupere, ac moderato. Statuimus igitur, ut congregati nostri vestibis seu habitu ex rudi ac vili panno nigri coloris utantur. Hujusmodi exterior vestis extrema in ora undecim tantum palmos in circuitu lata erit, ac duorum digitorum spatio a terra distabit. Quantum necessitas postulabit ad collum patebit, itemque ad pectus, uncisque

De vestibis et calceamento.

( uncielli ) necessariis instructa erit. Binæ manicarum partes ad manum quævis palmum lata erit, et ad pollicis usque cum manu commissuram extensa: ad humeros vero erit quævis lata sesqui palmum. Hæ manicæ sacculis instructæ erunt, necessariisque aliis comodis, quæ ad latera haberi non poterunt. Cæterum vestem cingulo nigro ex corio cingent, quod duos sit latum digitos, et a terra distet sesquipalmo. Tum scapulare ejusdem cum veste coloris, ac panni superinduent, quod palmum cum quadrante latum erit. Utraque ab parte scapulare a cingulo non alligabitur, et anteriori ab parte palmo, a posteriori vero sesquipalmo a terra distabit. Scapulari ad pectus viridis coloris panni palma assui debet, ac eidem cucullus, qui juxta primitivam consuetudinem parvus erit imponatur.

2. Altera etiam palma similis pallio assuatur, sed ad sinistram corporis partem. Pallium ejusdem ac vestis, panni, et coloris erit, ac ita in longum patebit, ut in genua congregato procumbente, vix pallium terram attingat. Hoc actibus, publicisque functionibus utentur; privatis vero, cum id a superiore fuerit præceptum, vel ad id hyemis tempus coget. Hoc etiam tecti pallio mortui humati erunt, ut hac etiam in parte patrem suum sanctum Paulum imitentur.

3. Sandalia nigro e corio conficiantur, ac duabus instruuntur solis. Solei sandaliorum tali immodici non erunt, nec ullo tincti colore (i tacchetti delle scarpe); lorum vero, seu coriaceum cingulum, quod crassiori in parte in sandaliis pedem ambit digitos duos latum erit (striscia di cuojo, che serve di tomara delle scarpe dei cappuccini ec.) Interior vestis seu tunica rudi e panno e nativa nigra lana confecto erit; nullo idcirco colore inficietur. Ad sandaliorum usque talos tunica descendet; ita tamen in longum protensa erit, ut ab exteriori veste oculatur. Indusium ægrotis tantum, usque dum convalescant, conceditur: familiari etiam afflictis morbo, eoque gravi conceditur. Attritæ vestes communi in vestiario mundæ asserventur, cumque congregatorum quibus, quibus utitur vestes rejcere, aut lavare voluerit iis tum uti poterunt. Verum ne cui necessaria desint, statuimus, ut congregatorum quibus duas habeat tunicas, duas externas vestes, bina scapularia, et bina pallia, tresque cucullos. His omnibus honestatis pau-

ni, qui minores vocantur rudi e lino quotquot necessarii erunt, addantur. (Linea femoralia hisce verborum involucris significari puto).

4. Ad munus congregati vestiarum custodis spectat non atritas solum vestes recte asservare, sed nova etiam omnia in comunes ac privatos usus designata. Illi interea hoc loci majorem in modum commendatum volumus, ut erga patres suos seniores morbis afflictos, et ad hujusmodi imtiles, quam officiosissime se gerat: horum vestes, tunicas, ac sudariola reficiat, et lavet, cum vel egentes id ab eo petierint, vel cum ipse hujusmodi officio eisdem egere animadvertet, sed cum in his exequendis haud parum laboris feret, illud rector quantum tempus, et occasio ferent, ad laboriosiores mendicationes non allegabit.

## CAPUT XX.

### *De temporali communitatis regimine. ac de ejusdem arca.*

§. 44. 1. Præter alibi jam rectori domus superiori impositas leges, heic illi præsertim commendatum volumus, ut peculiari charitate, diligentia, ac studio temporale communitatis bonum administret, ac subditorum vitæ, et salutis prospiciat; eximiam enim laudem feret, si sui oblitus, cum ita postulabit necessitas, subditorum tantum sibi commissorum gerat curam.

2. Rector congregatorum cuiusque necessarias præbebit vestes, tunicas, pallia, minores pannos, et sandalia, et quibus indigebunt, reliqua omnia nisi ab constitutionibus prohibeantur. Sed ad congregatos spectat quibus indigeant, rectori significare, cum hujusmodi erunt, ut aliter a superiore sciri nequeant, ut sunt, interiores vestes, quas superiori subditi ostendent, quo citius aliæ ipsis præbeantur.

3. Arca tribus instructa clavibus appareatur, in quam omnis pecunia ex elemosynis collecta, vel ad nos missa inferatur. Hujusmodi pecunia cum scutatos nummos sex, et julios quatuor confecerit, peculiari memoria erogantis tum nomen erit adnotandum, quo in perpetuum illius erga nos pietas constet. Omnia præterea clare, et distincte peculiarem in librum ad id designatum, ac a superiori locali, et discretis subsignatum inferantur, quem visitator examinabit. Idem liber rectori, discretisque novis tradendus erit, legali in-

De temporali communitatis regimine, ac de ejusdem arca.

terposita acceptatione, quam omnes inscribent.

4. Hæc arca in domo supputationum collocabitur. Rector unam e tribus clavibus habebit; binæ aliæ penes discretos duos primos erunt. Cum superior extra urbem proficisci parebit, clavem suam penes præsentem linquet; quod si discretorum quivis discessurus sit, discretis aliis suas claves tradet; hisque etiam impeditis, vocales sacerdotes congregatione antiquiores has claves asservabunt. Idem omnino agendum erit, rectore, ac præsentem absentibus, tum enim rectoris clavis primo discreto, hujus vero clavis juxta propositum ordinem, illi, qui nullam habet, tradenda erit.

5. Eandem intra arcam depositum diversis instructum clavibus comparari debet, totque hujusmodi claves diversæ erunt, quot congregati; hæc omnes alia sub clavi, quæ penes rectorem erit, asserventur. Hoc in deposito pecuniæ, vel quævis alia suppellex, quæ ad commune non spectat distincte asservetur. Eodem modo domus procurator, et emptor sua in cella pecunias in communes usus expendendas asservabit. Pecunias vero apud se retinere nemo alius possit sub pœnis suo loco statuendis.

## CAPUT XXI.

### De novitiatu.

De novitiatu.

§. 45. 1. Domus pars segregata, et clausa habitationem magistri, eiusque adjutoris novitiorum, et choristarum eligatur, quo ibi ab omni frequentia semoti enixius, ferventiusque uni Deo vacare possint, virtutibusque omnibus perfecte assequendis studere. Dum in novitiatu agent (integrum per annum id erit) magister quo ad novitiorum institutionem ea servabit, quæ hujus 2. p. cap. 9. jam diximus.

2. Majorem in modum novitios in spiritualium exercitio inflammare curabit: uniuscujusque mores, ac indolem, quoque hæc tendat, expiscari studeat, ut accuratam de omnibus notitiam capitulari mensæ reddere possit, cum de illis cognoscendi tempus advenit. In patientiæ etiam exercitium pœnis novitios multabit, quoque vere humiles evadant: contumeliosum aliquod insigne ferre; aliorum sæpiuscule deosculari pedes præcipiet, verbis tamen, quæ veritatem redolent. In illos etiam coram universis in refectorio animad-

vertet; quod si gravem impositurus sit pœnam, certiore ante faciet superiorem, qui peculiari cura, ne magistri imminuatur auctoritas, curabit.

3. Novitii, ac choristæ nostri, qui sacerdotes non erunt, diebus illis, quibus communitas, et ipsi eucharistiam accipient. Magistro, qui id muneris obibit, peccata exponent; quo id tamen liberius agant magistri adjutorem eandem ob causam aliquoties adibunt, et semel mense quolibet præfectum. Prius tamen a magistro ad id facultatem obtineant, qui illam prompte concedet. Quod si novitii timore, aut reverentia ducti hujusmodi facultatem non petent, magister ipse ad alios eos mittere curabit.

4. Omnes tam choristæ, quam laici communem vivendi rationem sequentur, cunctisque intererunt communitatis actibus, nisi alio ab obedientia disteneantur. Maximam semper præ se, modestiam, silentium, morumque ferant commendationem. Sine magistri facultate cum aliis congregatis nunquam loquentur; excipiuntur tamen superiores, ac officinarum ministri cum adjutores ipsis fuerint addicti. Nunquam cum patre, matre, aliove consanguineo loquentur; neque ad eosdem integro novitiatus anno scribebant, neque ullas ab eisdem literas accipient. Tribus hisce in casibus ita agent, nisi causa gravi, urgente, aliter magister sentiat. Novitiatu absoluto cum quovis loqui, literas scribere, ac a quovis scriptas accipere poterunt, superioris ac magistri habita facultate.

5. Tres, quæ semi horam durent magistri hebdomada quavis conciones ad novitios habebit: duobus de virtutibusaget, tertia vero de constitutionum, ac legum nostrarum exercitio; quidque hæc præcipiant, quoque spiritu observandæ sint, explanabit; qualibet etiam in hebdomada, quemque interna animi sensa exponentem audiet, suumque ad id cuique diem, et horam attribuet. At novitii clare magistro internos animi motus exponant; quasque patiantur investigationes, et quomodo easdem abigant; quem nam in oratione modum servent, quosque inde colligunt fructus, quamque in adipiscendis virtutibus negligentes sint.

6. Magister benigne, prudenterque idoneum cuique remedium adhibebit: omnes eriget, ac consolabitur, quo incepta in via progrediantur constanter. Cuique etiam librum et horam ad spirituale aliquid legendum designa-

bit; quod si novitii hanc omittent lectionem, id ipsum ad magistrum deferant, cui volumus commendatam, ut accurate hac de re cognoscat, ac in eos pœnis animadvertat, qui capitis hujus observationem neglexerint. Illis in quemcumque pœnis animadvertet quæ sibi idoneæ, coram Deo visæ fuerint, qui vero spiritualem omittent lectionem, ac si grave crimen admisissent, punientur.

## CAPUT XXII.

### *De ratione in novitiis adoptandis habenda, eorumque necessariis adjunctis.*

De ratione in novitiis adoptandis habenda, eorumque necessariis adjunctis.

§. 46. I. Ait Joannes apostolus non omnem nos spiritum probare debere, sed omni adhibita diligentia cujusque vocationem perpendere. Hanc ob causam majorem in modum rectori, ac discretis, ad quos novitios adoptare spectat commendatum volumus, ut de quibuscumque in congregationem nostram admitti petierint diligenter inquirent, et quæ illos causa moverit cognoscat, scire propterea studeant cum id consilii cœperint, quemque ad missionum, cæteraque congregationis munera idonei sint, quinam eorum mores, cuinam tam ipsi quam eorum parentes arti dent operam cætera deinde omnia, tunc in finem necessaria.

2. Famuli objectis domorum ad dicti munitis in congregationem non admittantur, neque illi etiam qui inhonoras, et viles artes exercuerint verum admitti poterunt artifices quicumque bonis præditi moribus præsertim cum eorum ars in congregationis utilitatem cedere potest. De hujusmodi diligenter, prout in sequenti capite dicemus inquisitio habeatur, quæ ab discretis perpendi et probari debet, ac ab rectore definiiri.

3. Antequam petitori cuivis congregationis vestis concedatur per dies quindecim in novitiatu probari debet. Diebus hisce propriis indutus vestibus communitalis officiis assistet, ac s. Ignatii exercitia peraget. Magister illi aderit, qui actiones externas omnes, ac animi motus observabit, rectoremque, ac discretos faciat certiores. Idoneus si erit admittatur, ac more solito congregationis veste induatur. Quod si quis virtutibus, literis, muneribusque obitis illustris admitti petierit; huic si certis e signis certa ejus vocatio dignoscatur, tribus tantum probationis exactis diebus congregationis veste induatur, si

id in præstitutum tempus rejicere, grave damnus petitori afferre judicabitur.

4. Tandem ii in congregationem admittentur, qui a Deo vocati agnoscentur, corporisque pollebunt dotibus, ni congregatorum numerus sit completus; item cum iidem comunitati peculiarem afferent utilitatem, neque pro iisdem optimates aliquot intercessisse constet, aut superiori vel discretis aliquid magni pretii datum fuisse, aut promissum, quo adoptioni assentirent; his enim duobus poterit capitulum antequam canonicam ad electionem deveniat, hac ratione admissis congregationis vestem detrudere. Excipitur tamen, cum quis hujusmodi ob intercessionem admissus, constantis vocationis signa dabit, et exacte ac perfecte omnia his ab constitutionibus præcepta observabit.

5. Qui in chori ministeria admittentur a duobus sacerdotibus examinabuntur, quos ad integrum triennium rector una cum discretis eliget prout jam diximus. Illud tamen advertendum, ut hi ante decimum sextum ætatis annum, laici vero ante vicesimum admittendi non erunt.

## CAPUT XXIII.

### *De inquirendis, et quomodo, circa eos qui in congregationem admitti petunt.*

§. 47. 1. Magna etiam adhibenda est diligentia cum de iis inquisitio instituenda erit, qui in congregationem admitti petunt. Hujusmodi inquisitio ab illo habenda erit, cui id negotii superior mandaverit. Id vero ita erit peragendum, ut recte, plane, ac perfecte omnia fiant; nec aliud magis præ oculis habendum quam quod justitia, veritas, et conscientia postulabunt. Quod siquod a sacris canonibus impositum impedimentum in inquisito deprehenderit, gravissima sub pœna in vulgus non proferatur, imo quacumque ratione oculatur, ne damnus inde aliquod aut notæ inquisiti familiæ proveniat. Hæc inquirentur.

De inquirendis ex quomodo, circa eos, qui in congregationem admitti petunt.

2. 1. Si petiorem agnoscat. 2. Si eundem bonis esse præditum moribus, beneque ab omnibus audire, nulliusque vitii laborare nota sciat. 3. Si eundem contagione aliqua sciat laborare, vel ægritudine hujusmodi, quæ illum ad congregationis munia inhabilem reddat. 4. Si alicujus criminis, aut delicti laborat infamia, ob quod

ecclesiasticæ, aut sæculari justitiæ sit obnoxius. = 5. Si tanto ære alieno gravatur, ut hoc vel quæ ipse, vel quæ præes possidet exuperet. = 6. Si parentes, ac sorores ita pauperes sint, ut illius omnino industria, quo vitam alere possint indigeant. = 7. Si petitoris agnoscit parentes, paternos ac maternos avos; quæ ipsis sint nomina, quomodo eos agnoscat, ac unde originem ducant. His alia addantur, quæ ecclesiasticis in tribunalibus interrogari solent.

## CAPUT XXIV.

*De ordine ac modo vestem novitiis induendis*

De ordine, ac modo vestem novitiis induendis.

§. 48. 1. Cum dies ad aliquem in congregationem admissum induendum veste designatus advenerit generali primum ab novitio totius vitæ confessione peracta, ac Christi sumpto corpore, tum universi tempore et loco ab rectore statuendis convenient. Rector superpelliceo, stola, et pluviali iadutus erit; ad illud tum a magistro, hujusque adjutore comitatus petitor accedet, ac genua submittet. Superior interrogabit: Quem quæris? respondet Jesum Christum crucifixum, Dei misericordiam, et charitatum vestrarum societatem. Brevem tum rector super responsione ad petitorum adlocutionem habeat, illique secularis vitæ incomoda exponet.

2. Adlocutione absoluta, rector hæc palam omnibus ab novitio interrogabit. Utrum sciat, exploratumque habeat quænam congregationis sint leges, ac exercitia? Utrum ad exequenda omnia accurate paratus sit? utrum sponte sua, ac nemine cogente sanctam congregationis vestem petat? utrum alieno ære gravatur cui solvendo per se vel per alium par non sit? utrum ita fæminæ cuivis sponderit, ut illam in uxorem ducere teneatur? utrum homicidii crimini aut alicui ex expeditis a sacris canonibus inductis sit obnoxius? et obnoxius si est, an paratus sit ut illum congregatio ejiciat cum de hujusmodi rebus clare, certe, ac indubitate sciverit? Quod si responderit consciam sibi de quibus interrogatur non esse; sponte se sua vestem petere; neque ullo premi alieno ære; neque vel minimum repugnare, quominus quovis ex impediuntis a sacris canonibus relatis in ipso quocumque tempore certo, ac indubitate depre-

henso nulla ejus habeatur professio, ipseque a congregatione ejiciatur: illum tum rector ad induendam vestem sequenti ratione admittet.

3. Tapeto vestis, seu habitus, scapulare, cucullus, cingulumque coriaceum imposita erunt: tum aliis omnibus stantibus, novitio tamen submissis genibus, magister illum sæcularibus vestibus expoliabit, et rector interea dicit = Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis = chorus respondit = Amen = Domine exaudi etc. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Deus virtutum, supplices deprecamur clementiam tuam, ut huc famulum tuum miserationis tuæ abundantia ab omni vetustatis contagione expurges, et capacem sanctæ novitatis efficias. Per Christum etc. Hac absoluta oratione, illum veste induet dicens = Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus es in justitia, et sanctitate veritatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen. Veste crucis signum super novitium efficiet. Cingulo vestem cinget; tum scapulari illum induet dicens = Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen = Tandem super omnia cucullo induet. Oremus. Adesto Domine supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum benedicere digneris cui in sancto nomine tuo sacrum hujus congregationis habitum dedimus; ut te largiente devotus in ea persistat et vitam mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Tum aliis illico cantores præcinent hymnum = Veni creator spiritus = Interea novitius expansis brachiis, super tapeto porrectus erit. Hymno absoluto, cantores versiculos hos canent = Emitte spiritum tuum, et creabuntur = Ora pro eo sancta Dei genitrix = Ora pro eo s. Paule prime eremita = Tum rector = Dominus vobiscum = Oremus Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosæ beatæ semper virginis Mariæ intercessionem a præsentem liberari tristitia, et æterna perfui lætitia. Deus qui beatum Paulum patrem nostrum, spretis mundi pompis ad eremum confugere, ibique in contemplatione tui nominis vitæ cursum perficere dignatus es: da nobis ejus intercedentibus me-

ritis, ut et mundana despiciere et cœlestia sectari mereamur. Deus qui justificas impium, et non vis mortem peccatorum, majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulum tuum de tua misericordia confidentem cœlesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur, et nullis tentationibus a te separetur. Famulum tuum quæsumus Domine continua pietate custodi: ut qui in sola spe gratiæ cœlestis innititur tua semper protectione muniatur. Per Christum etc. Orationibus absolutis novitium lustrali aqua asperget. Tum illum magister eriget, ac ad rectoris pedes ducet. Submissis novitiis genibus, rectorem amplexabitur, idemque a magistro comitatus cœteris cum congregatis ager, ac demum utroque alte salutato choro, in novitium proficiscetur, ibique de illo curam gerent, et instituetur prout suo loco jam diximus.

4. Siquis novitius (quod Deus avertat) e novitiatu fuerit ejectus, seculares illi vestes, quas ad nos attulit, tradantur, ac reliqua omnia, siqua alia attulit, nisi elemosynæ nomine nostræ erunt. Prius illi tamen ejectionis edantur causæ, ni magnam involvent infamiam; tunc enim gravi sub secreto, ac jurejurando interposito, superior illas discretis aperiat, ne ullo unquam tempore in vulgus edantur. Discreti ex animi sententia dicent, quod Deo magis, ac congregationis honori consentaneum existimabunt. Sed ut hujusmodi vitentur, rectori præcipimus, ut diligenter, et accurate de admittendis, prout jam diximus, cognoscat, quod si quid rumoris inaudierit, de illo radicitus cognoscat: sæpe enim labes hujusmodi a scelestorum odio, pessimaque voluntate originem ducunt. Sunt enim qui dum alios ab inserviando Deo amoveant eisque damnam afferant, nihili æternam animæ salutem faciunt, aliisque maligne, impudenterque maledicunt.

5. Quarto quolibet mense de quolibet novitio duodecim vocales suffragia iambunt: visitator vero prout in consultationum capite jam diximus, decretorium habebit suffragium. Quod si a pluribus fuerit probatus, id ipsum a magistro sciat, qui illis ad inceptam currendam viam, certamque faciendam vocationem animos faciet, quibusque periculis sese exponat, qui salutem negligit suam eidem declarabit.

6. Undecimo novitiatus completo mense, ultima de illo quæstio habeatur, quod si professione dignus

existimabitur, illum ad se coram magistro, et discretis rector advocabit, suaviterque ac benigne de illius vocatione cognoscat. Interrogabit: An illi exercitia, legesque, ac mores congregationis placeant? An sponte professionem facere velit; promissisque admissionis tempore factis, in perpetuum stare? Quod si affirmabit, ut suis disponet de rebus præcipiet, illasque libere donet; nam congregatio nihil ab illo aliud expectat, quam ut animam suam salvam faciat. Demum novitiatu absoluto, professionem faciet, prout in sequenti capite dicemus.

## CAPUT XXV.

### *De methodo in professione novitiorum servanda.*

§. 49. 1. Post vespervas rector superpelliceo, stola, et pluviali indutus, ac a comunitate stipatus, in capitulo choro, aut ecclesia erit, et postquam Spiritus S. hymnum, et orationem canent, rector, et alii sedebunt; novitius vero submissis genibus manebit. Tum ad hunc habeat brevem conciunclam, in qua illius laudet constantiam; et ad perserverandum ad mortem usque illum inflammet, leges moresque congregationis, quibus sese sponte submitit observando. Deinde interrogabit: Tibi ne congregationis vitæ ratio ac mores placent? Vis in eadem professionem facere et usque ad mortem perseverare? Si affirmabit, tum rector assurgens insequentibus orationibus cucullum, et scapulare benedicet; quæ illi pavinæ (sottocoppa) imposita offeri debent, et dicet: Domine exaudi etc. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Jesu Christe qui tegumen nostræ immortalitatis induere dignatus es obsecramus tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus indumenti, quod cum humilitatis indicio renuntiantes seculo deferimus: ita benedicere tua benedictione digneris, ut hic famulus tuus, qui eo usus fuerit, induere mereatur: qui vivis etc. Oremus. Deus æternorum honorum fidelissime promissor, et certissime solutor, qui vestimentum salutis, et indumentum jucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam humiliter exposcimus; ut hoc indumentum humilitatem cordis, et contemptum mundi significans quo hic famulus tuus visibiliter est informatus propitius benedicas, ut beatæ abnegationis habitum quem te inspirante suscepit, te prote-

*De methodo in professione novitiorum servanda.*



gente, custodiat; et quem vestibus nostræ congregationis induisti beata facias immortalitate vestiri. Per Christum etc. Oremus Deus beatorum virtutum dator, et omnium benedictionum largus effusor, te obnixius deprecamur, ut hanc vestem benedicere, et sanctificare digneris, quam famulus tuus pro iudicio agnoscendæ congregationis nostræ induit, ut inter reliquos fratres tibi agnoscat dicatus. Per Christum etc. Deinde novitium lustrali asperget aqua, illumque scapulari induens dicat. Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave est et onus ejus leve; cucullum vero induendum prosequatur: In nomine patris etc. et hanc addat orationem. Oremus. Omnipotens sempiternæ Deus qui sub magno patre nostro Paulo primo eremita in ecclesia tua sancta grandem filiorum exercitum adunasti, vel sensus non constat, vel error irrepsit contra hostes invisibiles fratrem nostrum noviter sub tanti patris militia collum jugo supponere volentem amorem Spiritus S. accende ✠, ut qui te inspirante profiteri vult, ita militando tibi regi regum præsentis vitæ stadium perecurrere valeat, ut felicitatis æternæ coronam, devicto, triumphatoque mundo cum pompis suis, te donante percipere mereatur Per Christum etc.

His absolutis superior, et cuncti alii sedebunt, novitius submissis genibus manebit. Hic postquam fidei protestationem edet, manibus positis super librum congregationis constitutionum, quem superior tenebit, clara, et distincta voce in hunc modum professionem faciet.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Ego N. in hac venerabili patris nostri Pauli primi eremitæ congregatione sub approbatis constitutionibus ipsius congregationis vivere, et mori cupiens meam facio professionem, et promitto Deo omnipotenti, immaculatæ semper virgini Mariæ, et beato patri nostro Paulo observare tria consueta vota, scilicet, obedientiam, paupertatem, et chastitatem, prout constitutiones nostræ determinant, et etiam obedientiam dogmatibus, S. Ecclesiæ Catholicæ Romanæ matris Nostræ, eîmo et rîmo dño cardinali patriarchæ nostro, et tibi hujus s. congregationis rectori, et successoribus tuis usque ad mortem.

Qui latine nesciunt dicent (idem omnino sed lusitanis verbis). Professione edita dicet superior = Et ego

» auctoritate, qua fungor accepto professionem tuam juxta mentem constitutionum nostræ congregationis et illius mystico corpori te unio, et constituo filium hujus piæ communitatis in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti Amen; et si quæ promissisti, observaveris, promitto tibi in nomine Dei omnipotentis vitam æternam.

Illico recens professus super tapetum in crucis modum se prosternet, illumque rector lustrali asperget aqua, ac vel alta voce, vel cantu adhibito dicet Pater noster etc, et ne nos inducas in tentationem. R. Sed libera nos a malo, V. Salvum fac servum tuum R. Deus meus sperantem in te. V. Mitte ei Domine auxilium de sancto. R. Et de Sion tuere eum. V. Esto ei Domine turris fortitudinis. R. A facie inimici. V. Ecce quam bonum et quam jucundum. R. Habitare fratres in unum. V. Sit nomen Domini benedictum. R. Ex hoc nunc et usque in sæculum. V. Immola Deus sacrificium laudis. R. Redde Altissimo vota tua. Domine exaudi etc. Dominus vobiscum. Oremus. Præsta quæsumus, Domine, famulo tuo renuncianti sæcularibus pompis gratiæ tuæ januas patere, qui despecto diabolo, confugit sub titulo Christi, jube ergo, Domine, venientem ad te vultu sereno recipi, ne de eo inimicus valeat triumphare: tribue Domine, brachium infaticabile tui auxilii, mentem ejus fidei lorica circumda, ut facile muro vallatus mundum se gaudeat evasisse. Per Christum etc. Oremus. Omnipotens sempiternæ Deus, qui humanæ fragilitatis infirmitatem agnoscis, respice, quæsumus super hunc famulum tuum, et larga benedictionis abundantia imbecillitatem ejus corrobora, ut promissa nunc vota quæ præveniendò aspirasti per auxilium gratiæ tuæ sancte, pie, ac religiose vivendo valeat vigilanter observare, et observando vitam promereri sempiternam. Per Christum Dominum nostrum etc. Oremus. Omnipotens misericors Deus, qui es fons veri luminis, a quo est omne bonum descendens a Patre luminum, effunde super hunc famulum tuum septem gratiæ tuæ charismata, et sanctæ benedictionis tuæ fortissimam copiam. Tribue ei prudentiam. R. Amen. Tribue ei justitiam. R. Amen. Tribue ei fortitudinem. R. Amen. Tribue temperantiam. R. Amen. Et post hujus vitæ laborem cum triumpho gloriæ præmia sempiterna. Per Christum Dominum nostrum.

3. Orationibus absolutis, candela recenti professo dabitur. Tum cantores præcinent hymnum = Te Deum laudamus = cui recens professus submissis genibus aderit. Hymno absoluto, hi versiculi, et orationes addantur. *ψ*. Emitte spiritum tuum et creabuntur etc. *ϕ*. Ora pro eo sancta Dei genitrix etc. *ψ*. Ora pro eo sancte pater noster Paule prime eremita etc. Oremus. Deus qui corda fidelium s. Spiritus illustratione docuisti da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Concede nos famulos tuos quæsumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosæ beatæ Mariæ semper virginis intercessione a præsentis liberari tristitia, et æterna perfui lætitia. Deus qui beatum Paulum patrem nostrum spretis mundi pompis ad eremum confugere, ibique in contemplatione tui nominis vitæ cursum perficere dignatus es: da nobis ejus intercedentibus meritis, ut et mundana despiciere, et cœlestia sectari mereamur. Per Christum etc. Amen.

4. Omnibus tandem fine imposito, recens professus submissis genibus a superiore benedictionem accipiet eodemque modo reliquos omnes amplexabitur. Deinde capituli inclinatione salutatis omnibus, a magistro, ejusque adjutore comitatus in novitiatum secedet, ibique binos in choristæ munere annos peraget, eandemque ac novitius quivis, vitæ rationem sequetur. A superiore tamen jussus cum id necessitas postulabit a socio comitatus e domo prodire poterit: ante vero ac post a magistro benedictionem accipiet, cui quot egit passus, ubi fuit, cum quibus colloquutus est, accurate referet. Dnibus his peractis annis a choristæ munere liber erit, si ita rectori, ac discretis, magistri ejusque adjutoris prius attento judicio visum fuerit.

5. In libro ad id designato illico post professionem adnotabitur tam nomen, quod professo sæculari adhuc fuit, quam quod in congregatione assumpsit, ejus patria, qui parentes, quaque in parochia baptizatus fuit: dies etiam, mensis, et annus quibus professionem edidit adnotentur; quodque a congregatione ejici hand recusavit quoties canonicis impedimentis obnoxius deprehendetur. Testimonio hujusmodi rector, discreti, ac recens professus nomina apponent.

## CAPUT XXVI.

*De congregatorum numero ac domus ædificatione.*

§. 50. 1. Statuimus ut congregati nostri quadraginta nec plures numero sint: sex et viginti choro addicti; quatuordecim vero laici, qui nullo unquam tempore ad literarum studia, ad chorum munia, ac ad sacros ordines admitti poterunt. Quod si id ipsi tentabunt, pœnis suo statuendis loco punientur; cæterum si quis in congregationem admitti petierit, de quo magnam missionibus utilitatem afferri posse credatur, et congregationi incrementum, hunc rector cum discretis admittere, et congregationis veste induere poterunt. Idem omnino erga laicos agere poterunt, cum equatuordecim aliqui vel familiaribus ita laborabunt morbis, vel ita erunt senio confecti, ut domus munia administrare non possint.

De congregatorum numero, ac domus mdficatione.

2. Domus, et ecclesiæ nostræ structura, et ædificatio ita erunt, ut pauperes decet, nec vel minimum reprehendi possint. Dormitoria palmos decem lata erunt: cellæ quovis in latere duodecim: refectorium vero juxta congregatorum numerum amplum erit. Quo vero jactantiæ nullus apud nos sit locus, nullum in refectorio mantile imponatur mensis, sed congregato cuivis mappa, cultrum, ligneumque cochleare præbebitur; festo tamen patris nostri sancti Pauli hospitibus mantilia permittuntur; sed ad plurimum fercula quinq;e omnibus apponentur. Alia de mantilibus cap. de penus custode jam dicta manent.

3. Officinæ aptæ esse debent, sed non immodicæ: bibliotheca tantum, et valetudinarium majori, qua poterunt amplitudine construentur, pulchroque sint prospectu, quo ægrotorum sanitati, librisque incumbentium solatio consulatur. Ecclesia nostra pauper, sed munda sit, ita ut munditie placeat. Vestesque ac cætera divino cultui addicta suppellex decenter, et concinne comparentur; etenim illud nostris omnibus actionibus est comprobandum, ut probe omnes intelligant, nihil omnino nimium existimandum esse in iis qui Dei cultui dicantur.

## CAPUT XXVII.

*De iis, qui literis dant operam, eorumque exercitiis.*

De iis qui literis dant operam, eorumque exercitiis.

§. 51. 1. Quo melius instituti nostri administrantur munia, statuimus ut privata literarum studia apud nos instituantur, ut literis congregati illi incumbant, qui ad literas addiscendas admittentur. Hi per annos sex humanis, divinisque literis dabunt operam; hoc est per triennium philosophiæ, et per triennium theologiæ incumbant.

2. Rector et discreti tam lectores, seu magistros, quam horum discipulos eligent, qui religiosiores semper erunt, majorique vi ingenii, ac firmiori præditi valetudine, nec quatuor pauciores, nec plures erunt decem. Tam hyemis, quam æstatis tempore ad matutinam horam octavam scholam ingredientur, ibique ad decimam cum dimidio permanebunt. Idem post prandium temporis spatium in schola insument; sed hyemis ad horam pomeridianam secundam, æstatis vero tempore ad tertiam incipient. Coram rectore ac discretis, exeunte anno ad examen revocentur: quod si parum in iis profecerint, quæ scire debent (magistro consulto) ab studiis amoveantur.

3. Cum nullus in hebdomada festus dies intervenerit feria quinta vacationem habebunt: feriæ erunt etiam a pervigilio nativitatis Domini ad festum usque P. N. sancti Pauli, et a sabbatho ante dominicam Palmarum usque ad feriam secundam in Albis inclusive, integrique augusti et septembris menses. Feriarum tempore tam magistri, quam discipuli communem vivendi rationem sequentur; cum vero scholæ affuturi sunt, orationi aderunt, verberationi, culparum capitulo, et rectorio; sed sabbathis omnibus jejunabunt, cæterisque ad id ab Ecclesia designatis diebus.

4. Cum scholastici superioris subditi sint, ut magistrorum sint discipuli, sciant tamen magistri nihil aliud supra discipulos juris habere, quam eisdem lectiones dictare; de eisdem rationem petere, disputationes et positiones unicuique designare. Quod si quid discipuli deliquerint superiorem faciet certiore, quo in eos ipse ut rectus ordo, et ratio postulant reprehensione, aut pœna animadvertat.

5. Congregatorum nullus sine expressa visitatoris, rectoris, ac discretorum facultate in scriptis obtenta scri-

*Bull. Rom. Tom. VI.*

ptum quodvis poterit typis mandare gravissima sub pœna. Æque literariis nostris vel alienis in actibus publicas argumentationes prohibemus, et majorem in modum capitis hujus observationem commendatam volumus.

## CAPUT XXVIII.

*De iis, qui ordinibus initiandi erunt.*

§. 52. 1. Congregatorum nullus, nisi de rectoris facultate, et quatuor discretorum consilio ordinibus erit initiandus. Hunc in finem præbebuntur initiando patentes literæ a secretario scriptæ, ac sigillo communitatis (quod palma et crux erit) munitæ, et a rectore et discretis subscriptæ. Iuitandus his munitus literis eminentissimo patriarchæ præsentabitur: antequam tamen insequentibus adhibeantur cautiones hujusmodi ipsi literæ non præbeantur.

De iis qui ordinibus initiandi sunt.

2. Si sacris ordinibus initiandus erit; severum ante de latini sermonis peritia examen subibit, uti etiam de reliquis omnibus, quæ ut quovis initiatur ordine, scire debent. Quod si idoneus existimetur, rector illum vel per se, vel per alium eminentissimo patriarchæ patentibus munitum literis præsentabit, ac eminentiam suam faciet certiore, initiandum nullo tam quo ad genus quam quoad necessariam scientiam delineri impedimento, prout ex inquisitionibus de illo a congregatione institutis constet, quominus initiatur: eundem prohibis honestisque esse moribus. Cæterum si eminentissimus patriarcha his non acquiescet, omnia ad ejus nutum omnino peragentur. Antequam tamen sacro quovis initiatur ordine de cœroniis examen subeat, et per dies octo sancti Ignatii peraget exercitia, modo jam dicto. Animadvertantur etiam jam dicta p. 1. cap. 2. n. 3.

## CAPUT XXIX.

*De confessariis, deque ab ipsis in confessionarii exercitio observandis.*

§. 53. 1. Ad munus hoc grave quidem, et arduum rector cum discretis idoneos æque ac prudentes viros eliget, qui mature, ac diligenter fratrum suorum peccata perpendant, et opportunum remedium adhibeant. Hunc in finem quam diligentissime poterunt cunctisque, qui huic erit addicendus muneri, scientiam, mores, ac indolem observent; cum enim confessarius Je-

De confessariis, deque ab ipsis in confessionarii exercitio observandis.

sum Christum repræsentet, eundem cunctis in actionibus, quantum humana potest infirmitas referre debet. Confessarius ergo humilis sit et mansuetus; et humiliter ac misericorditer proximi peccata audiat: illudque attente perpendat, quod majora auditis omnibus admittere ipse potest sibi ipsi a Deo derelictus.

2. De morali theologia confessarii examen subibunt, ac de effatis iis usu probatis, quibus in confessionario uti debent. Bini congregati ad id muneris designati examinatores agent coram rectore, et discretis, quod si idonei existimabuntur, patentes ipsis approbationis literæ præbeantur, quibus muniti ad eminentissimum patriarcham recurrent. Verum si ad aliud illos examen subeundum coget, prompte, et læte ejus jussis acquiescant.

3. Hæbdomada quavis bini designentur confessarii, qui oratione absoluta; et ante primæ initium missam celebrabunt, quo omnium ad pœnitentiæ sacramentum accedentium confessiones possint excipere. Ad id vero muneris eligentur ii omnes, qui ad sæcularium confessiones excipiendas approbati fuerint, exceptis visitatore, rectore, ac novitiorum magistro cum suo in munere obeundo detinetur. Cum vero quis ædituo, aut janitori de advocando confessario aliquid significabit, illico ipsi pergant, et aliquem ex designatis admoneant, qui quidquid præ manibus habuerint linquent, et exercitia etiam communitatis, quo spirituali aliorum bono consulant.

4. Parato sint omnes animo ad ægrotantium quorumvis excipiendas confessiones noctu diuque, et quibusvis tempore, et loco, quibus tam ad id, quam ad emorientibus ultimo in agone assistendum vocati fuerint. His quæ ad vitam christiane claudendam ducunt, istillabunt; eosque divinæ misericordiæ spe, beatitudinis promissis, ac æternæ gloriæ felicitate erigent, ac solabuntur. Sed ut penitus detestentur peccata, eademque confiteantur omnino hortentur, et ut mortem juxta Dei voluntatem obeant, ejusque omnia fidei committant. Dum hæc confessarius munia obit, ejus socius cum de fœminis agitur, quæ vel peccata confiteantur, vel ægrotae detineantur non longe aberit, quo omnis periculo cuius, ac obrectationi aditus præcludatur.

5. Cæterum cum bini designati confessarii expediendis per hæbdomadam pœnitentibus pares non fuerint,

ejus superior adjutores submittet, ita ut proximi spirituali bono omnino consulatur. Dominicis festis diebus, et jubilæis omnes ( exceptis iis qui gravi detinentur causa ) in confessionariis præsto sint, quod si quis fœminarum libentius, quam hominum confessiones excipere videatur, huic superior præcipiet, ut ab illarum excipiendis confessionibus absteat, quandiu superiori ipsi visum fuerit.

6. Confessariis nostris majorem in modum commendatum volumus, ut nullos alios, quam quos confessiones exiguat cum mulieribus sermones intexant; nam raro admòdum ulla inde utilitas, sæpissime vero damnum provenit. Eandem ob causam, cum vel necessitas, vel adversa valetudo aliud non suadebunt, easdem non adeant, præsertim si illarum directores sunt; ab his vero ut ulla accipiant munuscula, omnino prohibemus.

7. Ut nullus, uti credimus, superior nulla id suadente necessitate, subditos in privatas domos ad confessiones excipiendas mittet; ita etiam eorundem attentata prudentia speramus, ut haud difficiles se præbeant iis confessariis, qui ut confessarii instanter privati cujusvis privata in domo confessionem excipiendi facultatem petierint. Quod si ( quod absit ) contrarium evenerit, tum visitatori in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus? ut confessario flagitante ( prius tamen sed frustra, omnibus quæ Dei amor docet, erga superiorem officii peractis ) eidem socium attribuat, qui una cum confessario taciti, et humiles a locali superiore benedictionem accipientes ad opem proximo in gravi spirituali necessitate constituto ferendam accurrant. Illud tamen confessarius animadvertat, quod si necessitas hujusmodi extraordinaria non erit, vel licet extraordinaria, eidem aliis modo, et tempore remedium adhiberi posse, ab obedientiæ ipsum iramite aberrare, Deoque rationem redditurum criminum omnium, quæ ab hujus violatione legis proficiscentur, quam volumus ut proximo in gravi spirituali necessitate constituto remedium ac adiumento sit, minime vero ut pravis fovendis desideriiis inserviat.

8. Ad majorem Dei honorem, et gloriam, ac peccatorum utilitatem; quoque confessariorum notio, eosdem ulla impediatur ratione quominus peccata ad unum omnia aperiant: in omnibus congregationis nostræ domibus confessionarium construatur, quod janna pu-

blicam in viam directa instructum sit, quo ad illud diu noctuque, quicumque voluerit possit accedere. Hujusmodi confessionarium campanula ad confessarium advocandum instrui debet, ac ita ædificabitur ut sese invicem pœnitens, et confessarius intueri non possint, quo ita nulla abstricti verecundia, omnique abjecto timore immanem peccatorum sarcinam deponant. Meminerit visitator, visitationis tempore hunc adire locum, et sit nec ne necessariis instructus observare.

9. Congregati nostri cuivis domus confessario peccata sua poterunt aperire; dummodo spiritualemente in directorem virum eligant doctum, et prudentem, qui eos in perfectionis religiosæ tramite dirigat, cuique intima animi sensa penitus aperire possint. Hujus præceptis in rebus ad spiritum spectantibus omnino parebunt. Verum si quem extra domum religiosum virum sæcularum de rebus ad conscientiam spectantibus consulent, vel de aliis cum iisdem agent; prohibemus omnino, ne congregati cujusvis culpas detegant, vel congregationis sub pœnis suo statuendis loco.

10. Tandem quo magis confessionarii muneri consulatur, binos in hebdomadam designatos confessarios a collationibus moralis theologiæ, sacrosum bibliorum, ac ab omnibus chori muniis eximimus; quod si tum vacui erunt, vespere completorio, orationi vespertinæ, spirituali collationi, verberationi, et culparum capitulo aderunt.

### CAPUT XXX.

*De missionariis, qui sacrum evangelicæ prædicationis ministerium exercere debent.*

§. 54. 1. Sacrum hoc magnique ponderis munus illustre adeo est ac eximium, ut merito auctorem primum et magistrum Jesum Christum agnoscat, sanctosque apostolos, qui universo terrarum orbe evangelicam evulgando legem peragrato in illam veritatis lucem duxerunt, et fidelium tenebras, ac inanium commenta deorum dispulere. Debent accurata diligentia missionarii nostri, quo eximie huic dignitati respondeant, Christum pone sequi, in eumque tamquam in exemplar, ac in sanctos apostolos inspiciere. Hanc ob causam rector cum discretis in viris ad hoc munus eligendis intento illis opus esse animo sciant. Missionis tempore

*Boll. Rom. Tom. VI.*

illos ab exercitiis in congregatione peragi solitis eximimus; per oram tamen quotidie orabunt mentaliter, quam pro vacui temporis commoditate dividere poterunt. Illis tamen interea Dei præsentiam valde commendamus, et ut serio perpendant, quid dum missiones obeunt, muneris peragant.

2. Vere pauperes spiritu, terrenisque omnibus destituti bonis missionarii nostri studeant, ut judicentur, et sint: humiles item, mansueti, pacifici, contumeliarum patientes, ac parati sint semper benefactis maledicta compensare. Parvulos, et pauperes eximiis charitate, et amore prosequantur; afflictos ac egentes consolentur, eisque quod potuerint remedium adhibeant. Tamquam parentes et amici perditiores excipiant peccatores, ac flagitiosissimum quemque; eisque proponant, quam facile ipsi iterum in Dei amicitiam conferre possint, si flagitia execrari, et quantillam in hac vita peculiarem pœnam luere velint. Noctu diuque, quam maxime curent ut quidquid egerint, cogitaverint, dixerint in Dei gloriam, proximi bonum, et missionis incrementum cedat; tum ut omnibus exemplo sint optimo tam vita, quam moribus, ac demum ut nemo, vel minimum in eisdem possit reprehendere.

3. Illico ac ad urbem, vel oppidum, in quibus concionari debent, pervenerint, recta in pauperum hospitium, vel xenodochium pergant, ibique siquid loci erit moneant. Quod si loci nihil sit, postquam ægros inviserint, ac ad patienter ferendum benignis verbis hortati fuerint, ad parochi domum in cujus parœcia missionum munia obire parent, se conferant. Idem reliquis aliis in parœciis agendum erit; quam ob causam antequam ab urbe in urbem migrent, quid sibi agendum, quoque in loco manere debeant cognoscant, et si æquum esse judicabunt, reverendos parochos ante certiores faciant, quidque parent ad eos scribant. Quod si urbs ad quam migrare parant episcopi sedes est, ad hunc prius scribant, neque vel pedem sine ejusdem expressa facultate moveant.

4. Cum vero missionarii nostri parochis labori, ac sumptui esse cognoscant; siqua illa in urbe religiosorum sit domus ad illam se conferant, et quam minimo incomodo esse studeant. Siquis vero pius vir, dives et charitate illustris, ut apud se divertant orent, ab illo enixe propter Dei amorem pe-

D d d 2

De missionariis, qui sacrum evangelicæ prædicationis ministerium exercere debent.

tant, ut partem domus vacuam, et reliqua a familia libera ipsis attribuat, quo noctu diuque commode missionis munia vacare possint. Juxta Christi consilium, quæ apponentur manducabunt, ubi hospitio sunt excepti; apud alios tamen aliquid manducare sibi vetitum esse sciant; imo nulla a quovis missa munuscula accipere poterunt; ab hujusmodi enim donis mala quamplurima proficiscuntur.

5. Postquam necessarios quieti dies dabunt, in quibus ab omni abstinerebunt frequentia, quo melius adversus diabolum bellum comparent, si episcopus adsit illi patentes literas offerant, ac ad missionis abunda munia facultatem petant. Hac obtenta missionarii nostri piis aliquot ab hominibus comitati concubia nocte domo prodeant, et Christi Jesu Crucifixi imaginem præ se elatam ferentes publicas incedendo per vias, brevibus, sed aptis dictis ad pœnitentiam invitabunt peccatores, qui in tenebris ac in umbra mortis sedent, eosdemque ad missionis conciones audiendas inducant.

6. Fidelium ita pietate primum exercitata, evangelicæ prædicationi tum operam dabunt. In concionibus ad captum omnium facili, claro, et haud facato nantur sermone: generales afferant doctrinas, quodammodo nulli, aut offendiculo esse possint; indubitatis utantur argumentationibus, nullis tamen larvis, quæ timorem incutiant, exornatis, sed ea præditis vi, ut suaviter intima cordis pervadant. In primis tamen de illis tantum agent, quæ ad execrandam peccata, ac ad piacularem luendam pœnam fidelium corda inducant, quæque ad sperandum, Deique misericordiæ prudenter omnia committendum moveant, omnibusque quam stricte rationem sint Deo reddituri, quæ et quanta inferorum supplicia, et quid æternitas sit, probe exponant. Quo vero certum ex laboribus fructum colligant majorem in modum omnes ad sanctum mentalis orationis exercitium inducere studeant, illoque ipsi etiam inter conciones utantur, et aliquid ex dictis in concione ad meditandum proponant, quo utilitate animadversa, serio omnes exercitio hujusmodi incumbant.

§. 7. Quam poterunt etiam diligentissime sanctum charitatis exercitium stabilire curabunt. Ecclesiasticos, ac primores urbiam invitabunt, ut una cum illis carcere detentos, adeant, cibos ad eosdem deferant, et cætera abeant munia, quæ Ulyssipone peragi solent. Hunc

in finem ab episcopis facultatem petent qui si compromissum probarint ( hoc est uti crederem liberam quamdam certæ stipis collationem, libere a pio quovis in pauperum subsidium promissam) prout Ulyssipone peragitur, tum charitatis confraternitas erigi poterit si necessaria altera suppetunt.

§. 8. Peculiari modo cultum ac religionem erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ac beatissimæ virginis Rosarium propagare meminerint, prout alibi jam sæpe diximus. Cautè admodum ac prudenter cum illis agent, qui evangelica moti prædicatione sese ad religionem conferre parant: accurate missionarii nostri horum persuadant vocationes, quibusque ex justitia contractis obnoxii sicut obligationibus attendant præsertim vero diligenti cura illis agendum erit, cum petitoribus juxta cujusvis vires, ac indolem religiosum institutum erit consulendum.

### CAPUT XXXI.

#### *Quomodo congregati cum e domo prodibunt se gerent*

§. 55. 1. Congregati cum ad aliquid proprii, vel alieni negotii, e domo vel extra urbem prodierint, modestiam ac decentiam præ se ferant; nam homines non intima animi sensa, sed externas tantum actiones intuentur. Congregati ergo nostri quovis in loco quam maxime satagant, ut non alii, quam de rebus ad spiritum spectantibus, sermones inserantur, ipsique læto vultu ac modestis oculis loquantur. Benigne omnes æque excipiant, et prudenter cujusque perpendant indolem; ita enim hospitibus tædio non erunt, et eorum grata doctrina. Cætera etiam in cap. modestiæ jam dicta servabunt.

2. Congregato cuivis, ut intra urbem nulla urgente necessitate, Adventus tempore carnes edat prohibemus, prout jam cum de jejuniis diximus. Iter agentes vero, evangelium sequantur: pedibus iter agant, mendicato propter Dei amorem cibo vivent, eodemque modo hospitium obtinebunt. Si sacerdos erit missas pro benemeritis, congregatione, et congregatis, aliisque, prout charitas aut justitia postulabunt causis celebrabit; dummodo pro illarum celebratione stipem nullam accipiant. Necessitate, aut morbo adacti jumentis uti poterunt, vel etiam, ni aliter iter peragere poterunt, cisio, tumque superior cum discretis, quid ipsis in itineris sum-

Quomodo congregati cum e domo prodibunt se gerent



ptus præberi oporteat, comparabunt; quas tamen sacerdos iter agens missas celebrabit, pro causa ipsi majori ab ædituo præcepta celebrabit.

3. Congregati e domo prodeuntes benedictionem ab rectore accipiunt, vel ab illo qui egerit vices, uno tantum genu submisso dicentes = Benedicite = superior benedictionem impertiens, respondet = Ille vos benedicat qui sine fine vivit et regnat =: idemque domum reversi agent. Socius tum superiori exponet, quidquid animadversione dignum adnotavit; quo rite perpensis omnibus delinquens pro culpæ merito puniatur.

## CAPUT XXXII.

*De domus nostræ claustro*

De domus nostræ claustro.

§. 56. 1. Quammaxime ad servandas virtutes ducit, ut religiosorum virorum domus a sæcularium commercio, hospitiumque frequentia sit libera. Nam licet religiosæ domus aedificatæ finis sit, ut ad illam omnes confluant, quo spiritualibus necessitatibus remedium inveniant; non omnibus tamen illorum patere januæ debent, quamplurimi enim aliud omnino quærentes, et curiositate moti illas adeunt; cum vero domus nostra, quo virtutibus, austeræque vacemus vivendi rationi extracta sit; convenit quam maxime, ut ab omni sæcularium strepitu sit immunis. Hac de causa janitores nostri facile, sed urbane dimittant illos, qui nullo ducti negotio ad jannam nostram accesserint. Hæc vero quantum occasio feret, clausa sit semper; neque ullo modo janitores permittant; ut quis sine superioris facultate adeat dormitoria, quæ ad introitum volumus, ut portis, communique omnibus clavi instructa sint. Hinc tamen excipimus illum, qui ejus sit conditionis, ut contrarium fieri prudenter nequeat; sed superiorem janitor, utrumque poterit admonebit, quo debito modo hospiti adsit. Idem cautionis reliqua de domo est intelligendum.

2. Fœmina nulla sacristiam, jannam interiore domum, ac domus hortum ingrediatur, quæ secus gesserint pœnas ab jure constitutas ferant, nec quispiam, sub pœnis arbitrio ejusdem emi patriarchæ, claustum nostrum violet, vel transiliendo muros, vel portas effringendo.

3. Congregato cuiusvis statuimus, ut interdiu noctuque claustum servent; quod etiam intra domum servandum erit e cellis sine causa ad id cogente

non prodeundo, ne ob evagationes hujusmodi detrimenti aliquid spiritus patiatur.

4. Congregatus nullus extra domum post solis occasum manebit, nisi cum negotiis ad Dei cultum, proximi, et congregationis bonum spectantibus destinabitur. Siquem congregatum iter agentem ita nox opprimat, ut quarta leucæ parte (milliario) a domo distet, domum petat, nisi, quominus id peragat, inopina ab necessitate impediatur. Sine expressa superioris facultate, vel ejus substituti, nemo extra claustum prodeat: qui secus faciet, pœna suo statuta loco puniatur. Hinc tamen excipiendum est, cum ad superiores confugerint, scilicet, ad Romanum pontificem, ad emum patriarcham, ad regem fidelissimum, ac ad s. inquisitionis tribunal deiegata prius ipsis facultate.

5. Nulli superior facultatem impertiri poterit, quo nuptiis, fratrum etiam, ac consanguineorum assistet, conviviiis publicis, taurorum agitationi, et aliis hujusmodi. Non etiam, quo aliquid quis agat quod congregato aut cuiusvis alii molestiæ afferat. Quod si secus faciet, pœnis in tertia harum constitutionum parte statutis obnoxius erit.

## CAPUT XXXIII.

*De suffragiis pro vita defunctis congregatis, ac de eorum funere.*

§. 57. 1. Cum nostrorum quis vitam cluserit, ab universis e capituli domo ad ecclesiam afferatur, ibique pro illo novem lectionum officium; et missa recitetur, quibus absolutis, humo corpus mandabitur, precibus etiam ceremoniisque ab Romano statutis rituali additis, et alta voce prolatis. Cum funus vespertinis horis ducendum erit præsentem cadavere officium persolvatur, missa vero insequentem in diem, vel in primum, juxta rubricarum præceptum, non impeditum, rejiciatur.

2. Si quis nostrorum extra domum extremum diem obierit in loco, qui leucæ dimidio tantum sit dissitus ejus cadaver in ecclesiam nostram, quam decenter fieri poterit asportari debet. Congregati omnes illud ad claustri jannam excipient, tum officio parentabunt, ac tumulo tandem humabunt. Cæterum si longius obierit, ita ut domi terræ mandari non possit; ubi de illius obitu nuntius pervenerit pro illo officium et missa prout jam diximus, celebrentur.

De suffragiis pro vita defunctis congregatis, ac de eorum funere.

3. Præter missam officio addi solitam, sacerdotum quivis pro illo missas decem, decem primis vacuis diebus celebrabit; nec missæ hujusmodi ultra mensem protrahi poterunt. Clarius, major ædituus tenetur intra mensem tot missarum decadum celebrationem procurare, quot sacerdotes in universa communitate erunt.

4. Choro addicti congregati non sacerdotes teneantur tria defunctorum officia recitare, tribus post obitum primis diebus, ni juxta impediatur de causa, impediti enim satis est, ut id oneris intra mensem persolvant. Idem intra temporis spatium congregati laici rosaria novem pro defuncto quovis recitabunt: proque eodem pia omnia communitatis exercitia quindecim primis diebus offerantur. Primo non impedito die post octavam sancti patris nostri Pauli novem lectionum officium, et missa pro defunctis vita congregatis recitabitur.

#### CAPUT XXXIV.

*De suffragiis pro congregatorum parentibus ac congregatione benemeritis offerendis.*

De suffragiis pro congregatorum parentibus, ac congregatione benemeritis offerendis.

§. 53. 1. Congregati cujusvis patre aut matre mortuis, pro unoquoque universi in unum collecti congregati officium, ac in fine officii missam recitabunt. Tum sacerdotum quivis missam recitabunt, modo superiore capite exposito; choristæ vero non sacerdotes privatum officium aliud, et laici rosarium persolvent. Primo post apostolorum Petri, et Pauli octavam non impedito die officium, et missa pro congregatorum nostrorum parentibus recitandum crit.

2. Cum quis de congregatione optime meritus obierit, pro illius erga congregationem pietatis modo rector cum discretis respondentia suffragia designabunt. Qui in genere nobis favent tam vivi, quam mortui suffragiorum, exercitiorumque quæ quotidie in congregatione fiunt, participes sunt. Novembris die prima non impedita post generalem defunctorum commemorationem, officium et missa recitentur, pro illis omnibus, qui nobis tam communi quam peculiari modo adjumento fuerunt.

#### PARS III.

De pœnis congregatis, qui harum constitutionum observationem violabunt, et adversus congregationis leges agent imponendis-

#### CAPUT I.

*De pœnis in communi.*

§. 59. 1. Parva quidem, sed bene ordinata respublica religiosæ congregationes sunt, quarum in eo sita est regiminis felicitas, ut boni præmium, mali vero meritas pœnas consequantur. Congregatis huc usque in prima, et secunda harum constitutionum partibus, quas servare debeant leges, et regulas proposuimus, quo virtutum perfectionisque amore incensi æterna tandem cœlestis patriæ præmia consequantur. In hæc modo parte tertia pœnas legum earumdem violatoribus injungendas statuimus, quo, sin minus aliis de causis, at saltem pœnæ, suppliciiive ducti severitate malum fugiant, intimoque cordis affectu bonum omne complectantur.

2. Illud tamen animadvertendum ducimus illis, qui has juxta constitutiones pœnas aliis imponendi jus habent; quod delicta quamplurima nempe misericordia aptius, quam justitia emendat: alia prudenter magis, quam severe sunt tractanda: alia vero, quibus in remedium prudens dissimulatio benigna reprehensio, et secundum spiritus sensa justa commiseratio adhibenda sunt. In pœnis tamen imponendis superioris ante lacrymis oculi, quam os vocibus, loquantur, idque etiam cum de delictis agitur levibus, occultisque, aliquibusque etiam in gravibus.

3. Quod si delictum erit publicum, publica etiam pœna erit, tum enim et ut delinquens resipiscat, et ut ab illo discant alii, curandum omnino est. Cum vero publicum non est, de illo tamen constat ex cujusvis congregati accusatione, aut delatione; superior tam de delicti veritate, quam de accusationibus causa, et fine cognoscet; quod si delictum falsum agnosceret, tum accusatori, aut delatori easdem numero pœnas imponet, quas delinquens, vere si reus esset, laturus erat.

De pœnis in communi.

## CAPUT II.

*De pœna levi.*

De pœna levi

§. 60. 1. Pœna levis est psalmm, aut stationem brachiis in crucis modum expansis recitare : pedes domi omnium deosculari : humi cibum capere ; ferculo uno privari : vino per diem multari, et his similia. His puniendus erit quicumque leviter leges et constitutiones nostras violabit, qui cuivis ecclesiæ, chori, aut domus addictus munio leve in illo commiserit : qui indiligens serius ad chorum, aut quemvis communitatis actum pervenerit, neque in culpæ (reorum) locum concedet : qui tam domesticis, quam externis leve quid dabit, vel permutabit sine superioris facultate, iis exceptis, quæ pietati inserviunt excitandæ, ut sunt rosaria, sacra numismata etc., qui sine superioris facultate, aut venia ab aliquo communitatis actu abierit ; qui sine causa eisdem non adfuerit ; qui orationis, silentii, aut quovis alio tempore evagabitur, aut sciens leve aliquid admittet, quod leviter alios perturbet.

2. Hæc et alia quamplurima humana infirmitas admittere potest, et quotidie admittit ; ideoque redigi ad numerum non possunt. Superiores, occasione data, pœnas vel has, vel his similia Deo præ oculis habito, imponent, illud tamen advertant ne pœnarum numerum eodem in actu liberales sint.

## CAPUT III.

*De pœna gravi.*

De pœna gravi.

§. 61. 1. Pœna gravis est : diem pane et aqua victitando jejunare : sese in refectorio verberare : et his similia. Hujusmodi pœnas superior eodem simul die non imponet. His animadvertetur pœnis in congregatum choristam, qui sine superioris facultate cum iis, qui extra novitiatum sunt colloquendo fuerit deprehensus ; nisi cum ad mendicationes (questue) fuerit missus, aut congregatis aliis socius, vel officinæ cuivis sit addictus. Easdem subibit pœnas laicus congregatus, qui ne agnoscat, laicum se esse dissimulabit ; vel tonsura arbitrato suo incedet, aut similia aget : congregatus etiam qui tam forma, quam qualitate diversa, quam ab his constitutionibus præcipitur veste utetur : qui graviter de superioris regimine, vel de quovis alio congregato detrahet : qui æditus eum non

sit, neque illius agat vices, sine facultate in ecclesia cum mulieribus sermonabitur, nisi cum de rebus ad confessionem, vel ad consensum spectantibus sermones erunt : qui dum fœminas propria in domo adeunt, socium prope se habere noluerint, cum parva domus non est, nec confessionem debent excipere ; tum enim meliori quo possunt modo agent, qui aliorum libere ingredientur cellas, vel impudentes quid in eisdem alii agant ex insidiis aucupabantur : qui propriis in cellis alios admittent ; qui intra vel extra domum musico quovis utatur instrumento ; vel musicis adhibitis notis aliquid profane canet : qui cum iis qui male apud omnes audiunt, et ad infamiam accedunt amice nimium agent, et moniti non resipiscunt : confessarius, qui mulieris, cuius excipit peccata sibi obediendi votum admittit : congregatus qui gravi omnium offensione illo ipso in loco delictum aliquod defendat, in quo pœna fuit ipsi imposita : qui dolo malo e domo prodierit, quin a superiore benedictionem accipiat, animo tamen eodem die revertendi : janitor si sciens, prudens alicui, ut e domo prodeat, permittet, cum certo eundem e domo prodeundi facultate carere sciat : qui dolo malo epistolas ad superiores missas a subditis, vel ad subditos a superioribus detinuerit, vel easdem legetit : minor superior, qui detinebit, leget, aut impediet literas, quas ejus ad majorem superiorem subditi mittent, vel superiores ad subditos : ille cujus scriptum aliquod deprehendatur propria scriptum manu, vel de quo e signis illius esse dignoscatur, de contumeliosis agens vel de rebus, quæ domestici, aut externi cujusvis existimationi grave afferunt nocumentum ; prius tamen de veritate quæstione habita : qui postquam iterato leves plures admisit culpas, si postquam in eum monitione, levique pœna sæpius animadversum fuit, non resipuit : qui domesticis, externisque pessimo exemplo fuit : qui grave aliquid adversus leges et constitutiones nostras admittet. Eadem pœna in visitatione domus superior, discreti, præsidens etc. a visitatore punientur, si graviter muneri quisque suo deerit in illis, quæ his ab constitutionibus præcipiuntur. In rectorem tamen præsertim animadvertet visitator, si congregatis tam choristis quam laicis communitatis munia cuique suum non distribuet. Idem pœnæ subibit congregatus, qui majori de re pro arbitrato suo di-

sponet, illamve permutabit sine superioris facultate, aut in cella, arca, aut quid simile clavi obseratam habeat, in qua abdere quidquid libuerit, possit: qui gravibus aut contumeliosis verbis domesticum aut externum petierit, qui petenti condonare crimen recusabit, vel condonatum jam crimen iterum objiciet. Congregati ædituus, et janitor, cum dolo malo claves adventante nocte ad superiorem non deferent: præterquam cum aliud a constitutionibus declaratur. Congregatus laicus professus qui latino addiscendo sermone vel scientiæ cuius operam dabit, illi qui cum itineri pedibus conficiendo par non sit, si facile jumentis uti potest, cisio utetur. Hæc, et his pœnæ similes, his et similibus delictis imponentur.

## CAPUT IV.

*De pœna graviori.*

De pœna graviori.

§. 62. 1.º Pœna gravior est, cum delinquenti imponitur, ne per hebdomadam e domo prodeat, in eaque secunda, quarta, et sexta feriis solo pane, et aqua contentus, ut jejunando victitet; et activa et passiva voce privatus verberatione in se animadvertat, et humi in refectorio cibos capiat. Quod si hujusmodi delinquens localis erit superior, dum hæc illi pœna non remittitur domus administratio penes discretum primum erit. Hæc pœna augeri, vel minui poterit pro circumstantiarum et culpæ modo. Illam subibit congregatus, qui blasphemiam proferet, aut scribet, vel pejerabit: qui graviter decalogi præceptum violabit, aut ecclesiæ vel præceptum quodvis formali sub obedientia impositum, ut = in virtute Spiritus Sancti = vel in materia gravi edita vota violabit: qui voluntarie majorem in excommunicationem incidit; vel excommunicatione irretitus sciens prudens celebrabit, sive in ordine ministrabit: qui publice gravi cum offensione aliorum superiori cuius parere noluit; vel eisdem contumeliis affectit. (Legatur caput de obedientia N.º 4.) Congregatus qui potui, ciboque immodice nimium deditus, domesticis externisque malo exemplo fuerit: qui obscænos, prohibitosque libros penes se servabit; vel amatoria, et obscæna carmina, aut quidvis aliud scripserit simile; aut congregato cuius eadem legerit: qui secretum edet aut delictum, e quibus congregationi, aut congregato cuius vel externo gravis infamia pro-

veniat: ille qui certo impedimento a jure vel ab his constitutionibus inducto novitium laborare sciens, idipsum ante novitii professionem superiori non ediderit: qui perveracia, aut contemptu ductus communitatis actibus non aderit, si monitus, levique, et gravi pœna multatus, non resipuerit: ille cujus in cella, aut penes quem inventus fuerit pugio, aut quid simile a legibus vetitum: qui aleis, ac tesseris ludent; vel ludo cuius a jure vetito dabunt operam. Eadem pœna rector cum discretis afficietur, cum necessariis omissis cautionibus, vel manifeste laborantem inhabilitate aliquem in congregationem accipient.

## CAPUT V.

*De pœna gravissima.*

§. 63. 1.º Cum pœna gravissima in aliquem erit animadvertendum, hic De pœna gravissima. quandiu visum fuerit, in carcere includatur; hujusmodi tamen pœna ultra sex menses ferme extendi non debet. Dum carcere detinetur, secundis, quartis, a sextis feriis pane et aqua jejunando victitabit, humique in refectorio postquam verberatione in se animadvertet cibum capiet. In fine mensæ a superiore ad id signo dato, ad refectorii januam se prosternet, quo super illum omnes transeant: quod si sacerdos erit, ita ad januæ latus jacebit, ut e diverso libere congregati egredi possiat. Per omne hocce tempus antiquitatis jure carebit, et activa, ac passiva voce, scapulari, et cucullo privabitur.

2.º Meminerit superior ad illum sæpiuscule congregatum mittere, gravem, doctum, pium, qui reum soletur, illumque ad pœnam patienter humiliterque ferendam hortetur. Quod si pœnitentiæ signa edet, solemnioribusque diebus enixe petet, ut sibi Christi corpus sumere liceat, ut id domestico aliquo in sacello peragere valeat, concedetur, sed a carceris custode, aliisque quot necessarii fuerint, et a superiore designati, stipatus, qui illum etiam in idem aut aliud sacellum deducant, quo festis diebus missæ sacrificio possit assistere.

3.º Pœna gravissima punietur congregatus, qui apostolicas literas vel episcopi cujusvis, aut congregationis falsificabit, qui grave vulnus congregato aut sæculari infliget; qui dona, pecunias, aut pretiosum quodvis accipiet, quo quis in congregationem novitius

admittatur: qui testamenti curationem accipient, tutores agent etc. vel hujusmodi munia alia obibunt: qui quo incendium excitetur, operam præstabit: qui choreis, comædiis, aut taurorum agitationi aderunt; si graviori multati pœna non resipiscent: qui libellos famosos, satyras, et alia hujusmodi scribet, aut edet adversus aliquem: qui reo ut carceres effringat, et aufugiat, auxilium præstabit: custos carceris, si carcere detentis aufugientibus ipse extra culpam non erit. Idem pœnæ subibunt visitator, et rector si odio, aut animi acerbitate ducti, subditum verbo, aut scripto publice infami nota afficient. Pari item pœna rector, discreti, ac visitationis secretarius afficietur si grave congregationis aut congregatorum damno secreta evulgaverint, quæ munerum suorum ratione habita, abdere debebant.

4.<sup>o</sup> Haec et similia admittentibus pœnæ hujusmodi imponentur; sed reo plene convicto, vel ipso testimonio proprio comprobante, gravi præsertim graviori ac gravissima pœna. Levi ac gravi pœna visitator punire poterit, et graviori etiam, dum actu visitationis munus exercit rector levi ac gravi pœna in alios poterit animadvertere, sed graviori etiam de quatuor tamen discretorum consilio. Præsident, absente rectore, levem pœnam imponere poterit, et gravem etiam una cum discretis, cum localis superior ultra dies octo extra domum moras trahat, pœna gravissima imponentur tantum de vocalium sententia, ac eîno patriarcha approbante.

## CAPUT VI.

### *De pœnis fugitivis imponendis.*

§. 64. 1. Siquis nostrorum (quod absit) ausus fuerit vestem dimittere, vel e domo aufugere; si juxta juris ordinem probabitur, animo non redeundi ipsius abiisse non obtemperans reputabitur; et eîno adjuvante patriarcha, in carcere includetur, ac pœna gravissima punietur; quod si probetur animo redeundi abiisse tot dies in carcerem detinebitur; quot extra domum aget, bisque in hebdomada pane, et aqua victitando jejunabit, et bis etiam in se verberatione animadvertet. Si secundo aufugiet, duplam sustinebit pœnam, verberationibus exceptis, quæ binæ semper erunt. Si tertio aufugiet, ita judicabitur reus, ac si animo non redeundi abiisset. Hæc pœnæ semel ac iterum

*Boll. Rom. Tom. VI.*

illis impositæ, qui redeundi animo abierunt ad arbitrium minui poterunt: nequis tamen ultra sex menses in carcere detineatur, licet fugæ tempus sex menses exsuperet.

## CAPUT VII.

### *De incorregibilitate et ejectione a congregatione.*

§. 65. 1. Insanabilis ille est ingenii, qui gravissima delicta admittere non timet, et nihili facit; pœnasque vel spernit, vel subire detrectat. Hujus insanabile est ingenium, ac de illo, ait s. Augustinus, quamvis e societate vestra non abeat, expellatur, juxta apostoli doctrinam, qui homines hujusmodi vitare præcipit. Igitur incorregibilitas primum, vel commissum delictum, juxta juris ordinem, probari debet, dumque juridica hujusmodi probatio non habebitur communis juris ordini est acquiescendum.

2. His punietur pœnis congregatus, qui læsæ majestatis humanæ crimen admiserit; qui a rectissimo inquisitionis tribunali pœna afficietur. Congregatus item qui tria substantialia vota plane, ac omnino servare noluerit: qui sæpe monitus, et pœnis affectus inemendabilis omnino existimabitur quoad præcepta alia christianæ religioni, et his constitutionibus contraria aliisque juxta canonici juris præceptiones.

3. Discretis volumus commendatum, ut si quis superior ab harum constitutionum observatione recedet, vel grave delictum admittet, visitatorem secreto certiores faciant, quo una cum vocalibus sententiis comparatis, et delicto probato remedium adhibeat usque dum reus, si ita necessitas postulabit, a munere amoveatur. Quod si reus ipse erit visitator eminentiam suam vocalibus certiores facient, quo promptum ac necessarium remedium adhiberi possit.

4. Advertendum est modo, quod si qua alia patriarchatus intra fines domus erigatur, regia ac eîni patriarchæ facultatibus ante obtentis, has ipsas ejus congregati leges admittent. Illa tamen hac ab domo quæ modo erecta est, nihil omnino pendebit; qui tamen hujus visitator erit, idem muneris erga alias omnes domos exercebit, si easdem intra fines sitæ sint. Nunquam tamen independens congregatio existimabitur, donec ex congregatis duodecim non componatur; hujusmodi vero

E e e

De Incorregibilitate, et ejectione a congregatione.

De pœnis fugitivis imponendis.

expleto numero nihil ab hac omnino pendebit. Sed dum numerum non habet Ulyssiponensi congregationi parebit, non tamen, qui superioris vices ager, qui capitulo tantum subjacebit in illis, quæ ad illius spectant electionem. Prout tamen jam diximus, has omnes amplecti debent constitutiones.

5. Tandem congregatis nostris commendatum volumus, ut diebus singulis vel privatim, vel in communi insequentes faciant commemorationes; Domini a bona morte, Mariæ Virginis, s. Joseph, s. Joachim, s. Annæ, archangeli Michaelis, et P. N. s. Pauli primi eremitæ, quo a suo, nostroque Deo perseverantiæ donum, et finalem gratiam obtineat, et sanctam impertiat benedictionem, quam bonis ad spiritum spectantibus egentes, et nihilum agnoscentes nostrum submitte accipimus = In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti = Amen =

Tenor confirmationis apostolicæ.

§. 66. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, iidem exponentes, quo firmiter prædictæ regulæ, seu constitutiones subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio roborari plurimum desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertas regulas, et constitutiones prædictas cum omnibus, et singulis in eis contentis apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula sublatæ, et decretum irritans.

§. 67. Decernentes has præsentibus literas, ac in eis contenta quæcumque semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quomodocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiiri debere,

ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 68. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta novembris millesimo septingentesimo octuagesimoprimo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio contrariorum.

CCCXLII.

Conventus Novariensis, Viglevanensis, et Domodossolæ ordinis minorum s. Francisci Conventualium uniantur provincie Taurinensi ordinis prædicti.

Dni die  
20 novembris  
1781  
Anno VII.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Sacrosancti apostolatus officium humilitati Nostræ per abundantiam divinæ bonitatis nullo licet meritum Nostrorum suffragio creditum salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes, ad ea, per quæ felici, prosperoque Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum regimini consulitur, libenter intendimus, munerisque Nostri pastoralis partes, propensa desuper parte interponimus, sicut Nos locorum, personarum, rerum, et temporum qualitatibus mature pensatis, ad omnipotentis Dei gloriam, et religionis incre-

Premium.



mentum expedire in Domino arbitramur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii superiores, ac religiosi ordinis fratrum minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum conventuum Novariensis, Viglevanensis, et Domodossolæ, quod ipsi ad magis magisque in dictis suis respective conventibus regularem observantiam adjuvante Deo firmandam, eos provinciæ Taurinensi ejusdem ordinis uniri summopere desiderent.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur piis superiorum, ac religiosorum prædictorum votis ad religionis incrementum, et felicem progressum tendentibus quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eos, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, supradictos tres conventus dicti ordinis Novariensis, scilicet, Viglevanensis, et Domodossolæ cum provincia Taurinensi ejusdem ordinis perpetuo unimus, jungimus, adnectimus, et incorporamus.

Clausula sublatæ, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has præsentem litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quacumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariarum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, ac conventuum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis

decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima novembris millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXLIII.

Dat. die  
7. decembris  
1781  
Anno VII.

Facultas magno magistro hospitalis Hierosolymitani confirmandi decretum ab eo cum consilio hospitalis prædicti factum super additamento quorundam verborum ad ordinationem 68 de commendis etc. pro capitulo provinciali prioratus Bohemiæ ejusdem hospitalis.

Dilecto filio magno magistro hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem,  
et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum provinciale lingue Allemaniæ prioratus Bohemiæ istius hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, quod alias electio prioris sanctæ Mariæ sub titulo della Catena, ac respective superioris alumnatus Pragensis, ad magnum priorem dicti prioratus Bohemiæ pertinebat.

Expositio precum porrectarum a capitulo provinciali.

§. 2. Anno vero MDCCXXXIII. existente magno priore dicti prioratus barone de Czeijka ad majorem Dei gloriam, et hospitalis prædicti utilitatem una cum capitulo provinciali prioratus Bohemiæ fuit constitutum, ut omnes sacerdotes collegiales suffragium habentes tum præsentem, tum absentes duos viros magno priori præsentandos eligerent, qui, vel alterum ex ipsis confirmare poterat, vel etiam permittere, ut nova fieret electio.

Tenor resolutionis capituli provincialis.

§. 3. Capitularis resolutio hujusmodi primum quidem die xx. octobris

Confirmationes resolutionis capitularis

MDCCXXXIV., iterum vero die prima octobris MDCCLXI. fuit a lingua Germanicæ approbata, et acceptata, subinde etiam, nempe die x. decembris dicti anni MDCCLXI. a dilectis filiis consilio hospitalis prædicti fuit hisce verbis confirmata » Deliberationem venerabilis capituli provincialis omni meliori modo confirmaverunt, et approbaverunt, mandantes illam executioni demandari

Defectus irrep-  
tus in statu-  
tis ordinis au-  
thoritate apo-  
stolica confir-  
matis.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ad capitulum provinciale prædictum nuper pervenerint ordinationes, ac statuta in nuperrimo capitulo generali facta, et per illos alias approbata, animadversum est, per ordinationem, seu stabilimentum LXVIII. de præceptorii, seu commendis dilecti filii consilium sexdecim nuncupatum declarantes, se velle dicto decreto consilii hospitalis prædicti die x. decembris anni MDCCLXI. adhærere magno priori Bohemiæ jus conferendi dictum prioratum conventus concessere, quin adijcerent ei facultatem ordinandi, ut ad aliam electionem juxta memoratam resolutionem ejusdem capituli provincialis, cujus executio a consilio dicti hospitalis fuit constituta, præcedatur.

Emendatio de-  
cernenda sta-  
tutorum.

§. 5. Verum sicut eadem expositio prosequatur, cum memoratum capitulum provinciale per suum legitimum procuratorem dilectum filium Raymundum Albinum Menville fratrem cappellanum, seu diaconum conventualem expresse professum, ac præceptorem, seu commendatorem dicti hospitalis, tibi exponi fecerit grave damnum, quod ex dicta ordinatione, seu statuto LXVIII. de præceptorii, seu commendis magno priori Bohemiæ, cui ante annum MDCCXXXIII. jus privativum electionis prioris conventus competebat, erogabatur, precesque obtulerit, ut audito consilio dicti hospitalis ordinationi prædictæ verba ejusdem capitularis resolutionis, scilicet » *o lasciar venire ad altra elezione* » adijci posse, salva, ac reservata tamen apostolica Nostra approbatione concederes; ac subinde etiam ejusdem capituli provincialis votis annuendo, petitum additamentum dictæ ordinationi LXVIII. fieri posse, reservato tamen consensu, et beneplacito apostolico per decretum die xxv. septembris MDCCLXXX. indulseris. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 6. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi decretum prædictum, quo dictæ ordinationi LXVIII. de præceptorii, seu commendis additamentum verborum » *o lasciar venire ad altra elezione* » statuitur, auctoritate Nostra apostolica validandi, et confirmandi, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplendi, et sanandi, plenam, et amplam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio con-  
trariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti nuperrimi capituli generalis, aliisque dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; stabilimentis, usibus, et naturis, ac ordinationibus capitularibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo,